

Nr  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18





12  
I. N. J.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE JURE  
ΑΝΑΛΦΑΒΗΤΩΝ:

QVAM  
CLEMENTISSIMO DEI ADJUMENTO,  
AUCTORITATE MAGNIFICI ICTORUM COLLEGII  
IN HAC INCLYTA VIADRINA

SUB PRÆSIDIO  
DN. SAMUELIS STRYKII, J. U. D.

COM. PALAT. CÆSAR. ANTECESSO-  
RIS CELEBERRIMI, ET H. T. DECANI  
SPECTABILIS,

DN. PATRONI ET PRÆCEPTORIS SUI  
DEBITA ANIMI OBSERVANTIA ÆTERNUM  
COLENDI.

*Die Julii Anno M. DC. LXXVII. Horis consuetis*  
IN AUDITORIO ICTORUM

PLACIDO ERUDITORUM  
EXAMINI SUBMITTIT

REICHARD THOMAS RHEVVEND.

Col. March.

A U T O R.

---

FRANCOFURTI AD ODERAM,  
Typis Hæredum JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.



DISPUTATIO JURIDICA  
DE JURIS  
ANALYTIKA

AVGVSTISSIMO DEI ADHVMPTISSIMO  
AVCTORITATE MAGNIFICA AC TORUM COLLEGI  
IN HANC FACULTATEM NADRIANAM  
SUB PREESIDIO  
DR. SAMUELIS SIRKII. C. J. D.

COM PALAT. CAESAR. ANTECESSORIS  
IUS CEBITRUM ET T. DICANT  
SICUTI  
DR. PATRIS ET PR. AC TORIS  
DEBITA ANIMI ORSERVANTIA ETERNAM  
COLLEGI

DR. JOH. ANTON. M. D. C. C. LXXXII. H. B. S. C. P. S.  
IN ADDITIO AD TORUM  
REACTIO ET REACTIO  
EXAMINAVIT  
REICHARD THOMAS RHEVVALD.  
C. J. M. S.


WITTO  
FRANCORUM AD ODERAM  
THE. JOHANNES ERNSTI, AD. TYP.







## PRÆFATIO.

ntemnenda equidem videtur industria, quæ infra literas se dimittit Ἐ ἀ αλφα-βήτων inquirat Sortem. Miseros enim haud injuriâ dixeris, quos tanta literarum tenet imperitia, ut nec pingere literas, nec pictas legere, gnari sint. Quippe obmutescunt illi, quoties cum mutis loquendum. Silent ad monita defuncti Præceptoris. Absentium verba literarum beneficio nobis exposita Surdorum ad instar non percipiunt; ut adeò, si ullus alius in Civili vita dicendus est infelix, ἀναλφάβητος non unò nomine talis sit æstimandus. Malè ergò consultum diceret otio, quod circa hominum quæ literas otiosorum, Ἐ ut verbo me expediam, idiotarum jura inquirenda impenditur. Verùm non sublimia tantum sed Ἐ abjecta jurisprudentiæ sunt objectum. Vel glandes vel cloaca, nisi manifesta res esset, exemplo mihi forent. Circa has enim non raræ in Republica lites, quæ curam Legislatoris desiderant illicò. Pariter nec literatorum hominum rationem tantum habendam credidit jus nostrum; Sed Ἐ plebejorum omnisq; literaturæ expertium. Neq; enim excludi hi poterunt Republicâ; Hinc nec sine jure vivere valebant. Quàmvis autem jus in Republ. omnibus idem esse debeat; negotiorum tamen gerendorum sæpe ratio imponit Legislatori, ut pro aptitudine Civium generalia Legum Sancita singulari modò temperet, ne  
quod



quod impossibile uni, alteri verò possibile, equali necessitate  
exegisse videatur ab utroq;. Quam ob causam primò per-  
sonas nosse oportere, quibus jus applicandum, cautè suò locò  
monuit Imperator. Hinc nec uno in loco illiteratorum imò  
penitus ἀναλφαβήτων rationem habuit singularem, certam ipsis  
præscribendo methodum, qua imperitiam literarum quadan-  
tenus pensarent, ac negotiis suis debitum conciliarent robur.  
Non vidisse mihi contigit hæc jura ab uno collecta; Sed spar-  
sim ab unoquoq;, qui eorum mentionem fecit, eadem tra-  
ctata esse adverti. Quamobrem cum studiorum meo-  
rum specimine quodam publico mihi reddenda esset ratio, non  
illiberale, nec illiteratum existimaui thema, quod illiterato-  
rum exponeret jura; in quo themate enucleando, si non ipse  
me literatum exhibuere ubiq;, eò citius veniam à Benevolo  
Lectore expecto, cum non literas, sed jura illiteratos docere  
cupiam. Illud Scholæ relinquo, in hoc verò quid valeant hu-  
meri, experiri libuit. Secutus sum in quantum materia ad-  
misit ratio, methodum Imperatoriam digerendis juribus aptis-  
simam; Et ubi vis feci quod potui, non quod volui; quam  
voluntatem meam si factum displicuerit, Te boni consultu-  
rum, si ipse bonus es, nullus dubito. DEUM autem Opti-  
mum Maximum, ut feliciter cedat, quod molior, exercitium,  
supplici manu mentèq; obtestor.

Feli-



Felicitèr!

CAPUT I.

Generalia de Jure

ἀναλφάβητων. continens.

SUMMARIA.

<b>V</b> ocabulorum à Jctis, habetur ratio.	refèrri potest.	15.
<i>Analphabetorum Etymologia.</i>	1. Limitatur.	16.
<i>Tò legere quid significat?</i>	2. Exemplum Limitationis, in simulq <sub>3</sub>	
<i>Quid sò scribere?</i>	3. ejus, qui pedibus scribere valuit.	17.
<i>Quid sit Analphabetus?</i>	4. An morbo impediti sint inter anal-	
<i>Materia analphabetorum in Jure fundatur.</i>	5. phabetos referendi?	18.
<i>Analphabetus an differat ab Abece-</i>	6. De jure Canonico quinam vocentur	
<i>dario?</i>	7. illiterati & imperiti?	19.
<i>Vox ἀγράμματος an sit synony-</i>	8. An de iis etiam hic agatur?	20.
<i>ma?</i>	9. An Imperat. Justinianus fuerit anal-	
<i>Quis propriè dicatur Idiota &amp; qua-</i>	10. phabetus?	21.
<i>re?</i>	11. Affirmativam defendunt Valla &	
<i>Homines plebeji sumuntur aliquan-</i>	12. Bodinus.	22.
<i>do pro illiteratis.</i>	13. De Valla quid judicandum?	23.
<i>An cum analphabeto idem sit illite-</i>	14. Quid de Bodino?	24.
<i>ratus &amp; imperitus?</i>	15. Pro literatura Justiniani testimonia	
<i>Analphabetorum divisio.</i>	16. & argumenta	25. & sqq.
<i>Cæcus est analphabetus</i>	17. Contrarium asserentes refutantur.	30.
<i>Cæcus tantum condit nuncupati-</i>	18. Et Imperatoris literatura Juris tex-	
<i>vum testamentum.</i>	19. tibus denuò stabilitur.	31.
<i>Manibus carens inter analphabetos</i>	20. Contra §. 6. Proëm. Instit. Dd. oppo-	
	21. nunt.	32.
	22. Sed iisdem respondetur.	n. 33.

**I**Nscitiæ notam incurrere viderer, si, verbali co-  
gnitione missâ, in ipso Disputationis limine realem ordi-  
rer. Etenim fugere neminem credo, verborum negle-

A 3

ctum,



- ctum rerum incertitudinem parere, ut neque verba neque res tenere queamus. *Oldendorp. Class. 4. act. 24. p. m. 646.* Veritati congruum si hoc non esset, Jcti circa verborum discussionem non ita curiosi extitissent, uti extitere *L. 51. in pr. ff. ad L. Aquil. L. 35. § 1 ff. de mort. causa donat. princ. Instit. de testam. ord.* non insci) usu vocis cognitio, nos saepe in perceptionem ipsius rei provehi. *S. aliger Exerc. 1. Sect. 1. § Exerc. 325. Sect. 9 in fine* Quapropter & mearum partium esse putavi, vocis Etymologiae aliquantulum inherere, ut ita communibus praecipis, circa quamlibet materiem tractandam
2. observandis, satisfecisse videar. Quod si autem paulo accuratius vocabulum ἀναλφάβητος mecum perpendo, Graecum esse apparet, desumptum ab ἀνά, quod significat sine, & ἄλφα & βῆτα primis graecae linguae literis; talemque denotat, qui ne prima quidem elementa callet, & neque legere neque scribere potest, sive uno nomine *illiteratum*. Germ: *Der weder lesen noch schreiben kan.* Quid legere, quidve scribere sit, neminem fugere existimo; hinc & supervacaneum fore duxissem, de iis verba facere, nisi ad meliorem rei cognitionem faceret, & ipsum Ulpianum ac
  3. alios Jctos hac in re antecessores haberemus. Aliis autem significationibus missis, legere denotat idem ac oculis scripta percurrere; non autem intelligere posse, ut est *in L. 1. ff. de his, qua in testam. delent. § illic Dd.* Hoc enim facientes, literas discretas & quasi sparsas oculis colligere in distinctiones, & vel copulare in animo, vel ore eloqui & pronunciare solemus. *Matth. Martinus in Lexico Philologico sub voce legere.* Scribere indigitat stylo figurare literas, easdemque ad significanda animi sensa conjungere posse, ut est *in L. 93. §. 1. ff. de acquirenda vel amitt. hered. L. 10. C. qui testam. fac. poss. § L. 21. C. de testam.* Hisce verbis jam enodatis, facillimo modo modo apprehendere licebit, quid nomine analphabeti potis-



potissimum indicare cupiamus; sc. eo significato venire omnem, qui literis mandata legere, & pennam aut alio quovis instrumento, ad scribendum modo habili, animi sui sensa exprimendo, literas pingere nequit.

Ne verò arbitretur aliquis, nova nos excogitasse, hancq; analphabetorum tractationem temerè à nobis susceptam esse: Placet textus: nonnullos allegare, ex quibus elucescere possit, ἀναλφαβήτων materiem in Jure fundatam & expressam esse. Sisto §. 8. *Instit. de Excusat. Tut.* cui correspondet L. 6. §. 19. ff. d. t. L. 3. §. 2. ff. de *Accusat. L. 11. §. 3. ff. de infortoria actione. Auth. sed novo jure. C. si certum petat. L. 21. 29. 30. & 31. C. de testam. L. 21. C. qui testamenta fac. poss. L. ult. §. 2. circa fin. Dd. C. de jure deliberandi.*

Pluresque alios hac vice in medium producere valerem, nisi eos brevitatis studio præterire compellerer, cum eos in ipsa materiae discussione non sim neglecturus.

*Fulgentius Plantiades* in 3. *Mythologicôn ἀναλφαβήτων* abecedarium vocat; Enimverò si pressius hanc vocem introspicimus, communem loquendi usum eo nomine aut Pædagogum seu Præceptorem pueros alphabetum docentem; Aut etiam teste Hieronymo in disciplina Mosaica puerum sive tyrunculum, qui ultra primarum literarum cognitionem nondum progressus est, insigniri deprehendimus. Injurius ergò non videbor, si ab Afro illo affectante *Barth. in adversariis Lib. 17. cap. 7.* recedere, & vocabulum analphabeti, quippe quod in interiorè rei cognitionem primo statim intuitu nos provehat, retinere placeat.

Synonymiam in vocabulo ἀγράματος non saltem sacrae literæ *Actor. 4. v. 13.* Sed & ipsum Corpus juris in sæpius indigitata significatione suppeditant. L. 6. §. 19. ff. de *Excusat. Tutor. Nov. 73. c. 8. & Nov. Leonis 69.* Regereret autem hic fortassis quispiam, quare eam vocem ab ipso

Impe-



Imperatore usurpatam non retinuerim? Responsum habeat, nos non verba; sed rem ante omnia respexisse; Libens lubensque fateor idem significantia verba esse; Sed quòd vocabulum ἀγράμματος materiam nostram in ipsa statim ejus apprehensione ita concinnè exprimat, ut jam tum dictum, diffiteor. Quàmvis etiam Idiota pro plebejo & privato communiter accipiatur *Godofred. ad Nov. 8. c. 6.* indoctum tamen & illiteratum in quacunq[ue] scientiarum facultate Romanæ linguæ Scriptores eò nomine indigitare solent. Exempla *Vid. apud Vossium in Etymologico magno lingue latine sub voce idiota.* Et certè profectò, si humanas Societates contemplamur, ubi plures quæso illiteratos & indoctos reperies, quàm inter plebejos? ante omnia unusquisque animò intueatur vitam rusticam, & illic primis elementis destitutos copiosè inveniri; in multisque ruri viventibus non naturam sed curam defecisse, deprehendere licebit; nullà fanè alià de causa, quàm quod Parentum negligentia locique infortuniò, à teneris ut dicunt unguiculis, agriculturæ assvefacti, literas relinquere incultas, coacti fuerint. Quodque Imperator *in L. 31. C. de Testam. & Nov. 73. C. 9.* innuere videtur, dum in illis locis, puta ruribus, ubi rarò inveniuntur homines literati, talibus, illic viventibus, ob literarum imperitiam & simplicitatem, ad DEI humanitatem respiciens omni Legum Subtilitate missà saluberrimè subvenire voluit: De quibus privilegiis circa Contractus & ultimas voluntates plura videbimus. Nec omittendum, huc etiam Beatum Lutherum respexisse, dum textus *Actor. 4. v. 13. & 1. ad Corintb. 14. v. 16.* ubi in originali textu vocabulum ἰδιώταις habetur, in germanica versione *Leyen* vertere voluit.

II. Accedit, quod in primà significatione, cujus n. 2. mentionem fecimus, apud Dd. illiteratus & imperitus communiter



niter accipiantur. v. *Menoch. Consil. 100. n. 244. Et illic allegatos Dd.* Immo si Leges nostras evolvere, prius à Modestino in *L. 6. §. 19. ff. de excusat. Tut.* in eo significato sumi deprehendo; posterius quidem tali acceptione absolutè positum reperire non potui; reperi tamen Imperatorem sæpius phrasi, Literarum imperitus, uti, si nec legere nec scribere valentem indigitare velit, ut est in *L. 29. Et 30. C. de Testam.* Enim verò nonnullos Doctorum circa hæc locutiones subtiles esse video: Ita per illiteratum indigitant eum, qui legere nescit, per literarum imperitum, qui modicè legere ac scribere potest. *Felin. in cap. Sciscitatus X. de Rescript. n. 27. in fine.* Sive, non saltem eum, qui penitus non callet literas; Sed & qui parum callet *Sichardus in prælect. Tom. 1. fol. 805. 4. Et Bartol. in auth. sed novò jure C. si certum petat.* ubi subjungit: Tales esse Mercatores qui sciunt scribere & legere vulgariter. Verum enim verò cum hæcenus nullam Legem invenire valuerim, ex qua harum phrasium accuratam distinctionem colligere potuissem, & Lege non distinguente nec nostrum distinguere *L. 64. §. 9. ff. Solut. matrim.* hæc inutiles altercationes missas facio, ac per illiteratum & literarum imperitum, literarum legendarum & scribendarum ignarum, sive ἀναλφάβητον unum idemq; in jure nostro indicari, statuo; 12. licet negari nequeat per ἀναλφάβητον non saltem eum, qui penitus non callet literas; verum etiam, qui parum callet, in jure aliquando denotari. *Nov. 73. c. 8.* Talismodi autem ἀναλφάβητοι sunt vel quoad lectionem & Scriptionem simul; hoc est ut nonnulli neque legere neque scribere sciant, de quibus loquitur *§. similiter 8. Instit. de Excusat. Tut. Nov. 44. c. 1. Et Nov. 74. c. 8.* vel quoad scriptionem tantum; hoc est, ut legere quidem possint; scribere tamen nesciant, ut patet ex *L. 3. §. 2. ff. de Accusat. L. 21. Et 30. C. de Testam.* aut ex observantia quidem scribere nesciant; literas verò scriptas legere,

B

sciant,



sciant, aut typis expressa legere queant, scripta verò legere nequeant. Porro analphabetos naturam voluisse quosdam constitutos, ex diligenti rei pensatione apparebit: Sic Cæcos, oculis ad lectionem & scriptionem summè necessariis, *Bartol. ad L. 1. pr. ff. de his que in testam. delent. & in L. Contractus C. de fide instrument.* destitutos, sive natos sive casu fortuitò tales factos, quippe uterque Cæci nomine venit, *vid. Dn. Præses Præceptor multis nominibus suspiciendus in Tractatu de Jure Sens. Diss. 2. cap. 1. n. 3.* optimò jure analphabetos vocamus. Namque Sanctionem Justiniani in *L. hac consultissimâ §. C. Qui testam. fac. poss.* accuratius nobiscum

14. pensitantes, non ob aliam causam ab Imperatore statutam dicimus; quàm ut testator oculis carens, adeoque scribere nesciens, per nuncupationem sive ἀγγελίως, hoc est, citra scripturam, ut habet *Godofred. ad d. l. 8. testamentum suum condat*: Utque præter septem testes, qui aliis etiam testamentis interesse debent, Tabellarius requiratur, qui Cæci moderamen voluntatis in scripturam redigat: Et non saltem à se utpote octavò teste testatoris loco; sed & cæteris septem testibus subscribatur; Non nisi propterea hoc voluisse constitutum Imperatorem opinor, quàm quod Testamento cæci facilè adscribi possint, de quibus nihil dixerit, ne quidem cogitaverit; quippe scripta in testamento per subscriptionem, eâ destitutus, approbare nequeat. Ad amovendam ergo omnis fraudis suspicionem Imperator tot oculis spectatum, tot insinuatum Sensibus, tot insuper in tutò locatum manibus, voluit conditum Cæci testamentum *d. l. 8.*

15. *in fine C. Qui testam. fac. poss.* Nec minori jure etiam illos vocam⁹ analphabetos, qui membris ad scriptionem necessariis destituuntur. Cùm enim ad scriptionem requirantur manus quarum auxiliò literæ ad significanda animi sensa pingi debeant; illis carens analphabetus dicendus erit; Sed ne nimis

mis



mis amplum hoc assertum posuisse videamur, limitationem adicere lubet; Nisi miranda naturæ compensatio illum defectum per alia corporis membra suppleat. Certum enim est & experientia ut certissima rerum magistra abundè docet, naturam, veluti fidelem matrem compensando sollicitam & studiosam esse ne tanquam dura noverca meritò accusari possit. Quod enim in aliquibus Sensibus adimit, in aliis restituit *Camerarius in boris subcisiuis Cent. 1. c. 37. Quod-17.* que dictò locò plurimis exemplis demonstrat ac probatum reddit. Inter cetera mirandum & notabile est Thomæ Schvveickeri, de quo refert: Ipsum licèt sine brachiis natum, pedum tamen subsidiò, manuum munia expeditè exequi potuisse. Inter omnia admiror elegantes latinas & germanicas literas, quas dictus ille Schvveickerus in pergameno (cujus exemplum duorum Notariorum insignibus munitum in Paterna bibliotheca asservari memini) pedibus suis pingere ac formare potuit; Sicut & natura cæcos scriptionis peritos fuisse exempla testantur, *vid. Sigism. Scaccia in Tract. de Sententia & re judicata cap. 1. Gloss. 3. quest. 2. n. 23. & modum Cæcos scripturam docendi, tradit Gasp. Schott. in Phys. Curios. Conf. Besoldus in Thesauro Practico sub voce Schreiber.*

Nec prætereundum eos etiam analphabetos dici posse, 18. qui legere ac scribere quidam sciunt, morbi tamen acerbitate impediuntur. *arg. L. 29. C. de Testam. & L. fin. §. 2. in fine C. de jure deliberandi.* Hisce jam enodatis, progrediendum esset ulterius. Cùm verò voces illiteratus & imperitus præter dictas significationes, etiam aliis à Ddbus crebris Sermonibus usurpari videamus, non inconsultò nos facturos credimus, si & eas brevibus indicaverim, præprimis cùm & ad rem nostram faciant. Illiteratus ergò & imperitus in jure Canonico ejusdemque Commentatoribus pro talibus accipiuntur, qui neque arte neque usu Grammaticæ aut Do-





nati aliqualem notitiam habent; Hinc factum quod ob Donati neglectum Honorius Tertius Episcopum Cabinensem à Pontificalis officii executione & administratione Ecclesiæ amoverit *cap. ult. X. de etate & qual.* Si Romanæ linguæ Scriptores aliquantum investigamus, artium liberalium, indoctos & penitus ignaros hisce vocabulis appellari, cuivis apprehendere licebit. Ita pro substrata materia illi, qui apud Latinos Latinitatem ignorant; apud Græcos Græcam linguam non intelligunt: & in materia scientiæ literarum Sacrarum, qui Sacram Scripturam nesciunt, in materia, ubi de jurisprudentia agitur, qui Jura non didicerunt, illiterati & imperiti dicuntur. *Martin. Azpilcueta ad cap. si quando 5. X. de rescript. Except. 13. n. 6.* Postquam igitur hæc omnia pro ingenii modulo perlustravimus, dicendum esset, de  
 20. quibus illiteratis nobis agendum. Equidem fateor, nostri instituti metam potissimum esse, eorum saltem jura, qui in jure ἀγράμματοι, hoc est, nec legentes nec scribentes dicuntur, delibare; cùm tamen multa notatu digna in jure de jurium imperitis mihi perlustranti occurrerint, quæ hactenus in peculiari tractatione nondum tradita vidi, non perperam me facturum existimavi, si ante omnia quidem nec legentium nec scribentium jura explicarem, hisce tamen & idiotarum & jurium imperitorum disputationis calce adungere conarer. Circa methodi novæ excogitationem non ero laboriosus, sufficiat methodum ab ipso Imperatore *in §. fin. Inst. de J. N. G. & C.* præscriptam & à nobis hæc vice observari. Antea verò quam hoc fiat, satisfaciendum  
 21. erit quæstioni vulgatæ, quæ multi Imperatorem incusare solent, ipsum quòvis ἀναλφαβήτω rudiores fuisse. Præconceptam hanc opinionem, nescio quò calumniandi animò  
 22. ducti, fovere ausi sunt *Laurentius Valla Lib. 6. Elegant. cap. 36. Bodin. in Lib. de Repub. cap. 3. n. 17. cit. à Jac. Mast. de Inst. LL. Rom. l. 1. Dub. 2.* aliique, quos prætereo, cùm brevitati studeam;  
 Qui



Qui tamen eos videre cupit, adeat *Celeberr. Dn. Eichelium* in *animadversionibus accuratis. ad avéndota Procopii Casariensis ad n. 42. p. 63.* Verùm si Vallam, quoad primas saltem 23. pagellas introspexerimus, quid de eo judicandum patebit. *Andreas Alciatus Lib. 4. de Verbor. signif.* ipsi quidem insignem eruditionem, quod & quisque fatetur, tribuit, sed arrogantia, philautia summæ, sinistri de quovis iudicii incusat: Hinc & odiò plus quàm Vatinianò à quovis habitus, nullum cum adversariis suis certandi tempus præterire sivit. Sed quemadmodum alios momorderat vivus, ita ipse etiam defunctus mordaces habuit alios: Hinc nescio quis Poeta *Vid. Martin. Hankius Lib. 2. de Romanar. rerum script. Part. 1. cap. 11. §. 4.*

Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli;  
Si quæris quid agat; nunc quoque mordet humum.  
*Seu ut alii habent:*

Nunc, postquam manes defunctus Valla petivit,  
Non audet Pluto verba latina loqui.  
Jupiter hunc Cœli dignatus parte fuisset:  
Censorem linguæ sed timet ipse suæ.

Bodino fidem ut tribuamus, cordatus Lector negabit. 24.  
Ut enim de ipso fama fert, sacra ei minùs curæ fuisse, Patriamque suam Gallico more laude insigni evehere, eamque cæteris anteferre studuisse: *Vid. Excellentiss. Dn. Beccmanus in Collegio Auctorum cap. 19. §. 1. n. 4. ubi Anton. Possevinum in singulari consideratione ac cautione de Job. Bodini libris, editâ cum Marchiavelli Principe Ursell 1600. in 12. allegat: Ita nec erubescit, cum cap. 4. Metb. Hist. ait: Licere suorum populorum dignitatem honestò mendaciò tueri. Conf. Lansius in Orat. contra Galliam p. m. 311.* Mirum ergò haud erit, si ab eorum sententia 25. recesserimus. Namq; ex Scriptoribus Historicis aliter edocti, Justinianum literarum peritissimum fuisse, paucis ostédemus. A primis annis disciplina Theophili traditus est, ut probat incōparab. *Dn. Eichel. in d. Tr. ad n. 74. p. 166.* sub cuius indefesso la-



bore & summa diligentia eundem in literis insigniter profecisse, nullum dubium est: & si omni autoritate destitutus hoc  
 26. comprobare non possem, ex eo tamen abunde liqueret, quod non saltem de Incarnatione Christi libros quosdam scripserit ac ediderit, ut refert *Platina in Libro de vitis Pontificum Romanorum in Bonifacio Secundo, & Victor Turinensis Justiniani adversarius acerbissimus*, uti ostendit *Dn. Eichelius in d. 27. Tract. ad n. 42. p. m. 62.* sed etiam in Salvatoris nostri honorem elegantissimum Hymnum composuerit: Quemque hodie à Græcis palam in Ecclesiis cani tradit *Mestertius de justitia LL. Romanarum Lib. 1. Dubit. 2.* ubi & eundem refert. Hocque post *Isidorum* asserit *Gyphanius in Comm. sive Orat. de Imperat. Justiniano.* Idem *Antonium Sabellicum & Procopium* de Imperatore nostro Justiniano memoriæ tradidisse, testatur *Henonius Disput. 1. Controv. 2. & Ortolphus Fomannus Disputat. 1. d. 27. sub L. C.* uti eos recenset *Christianus Matthia*  
 28. *in Teatro historico sub vita Justiniani Magni cap. 2. n. 1.* Quid? quod fidei suæ rationem sua manu scriptam ad Romanum Episcopum misisse Anastasius in Johanne secundo testis est. Silentii peplo involvam, ipsum cum Episcopis ex remotissimis Regionibus ad se accersitis, si quos celebres & doctos audiverat, coram eruditè disputasse, ut habet sæpius allegatus *Dn. Eichelius in d. Tract. ad n. 42. p. 62.* & amore fidei, quia charitatis studiò edoctus, Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedis reverentiam, prout tunc temporis ratio svasit, conservasse, ut testatur Johannes Archi-Episcopus Romanus in *L. Inter*  
 29. *claras pr. C. de Summa Trinit.* Illud saltem monebo, quod tantâ diligentia ex immenso & penè desperato veteris jurisprudentiæ opere Leges in unam consonantiam redegerit ac felicissimè ad finem perduxerit; ut & ipse *Platina* allegatò locò asserat, non mirum esse, Justinianum tanti ingenii tantæque doctrinæ fuisse, quòd Leges Romanas dispersas & in-

com-



compositas in ordinem redegerit; Quod profectò instar omnium rationum, quibus Justiniani literarum scientiam demonstrare nitimur, esse posset. Quippe jurisprudentiæ nostræ opus tam alacri studio perfici non curasset, nisi & literis instructus fuisset, cùm plerumque literarum imperiti earum nullam curam habere soleant. *Vid. Mæstertius d. l.* Accedant jam Nasutuli, præprimis impudentissimus ille Alemannus, & ostendant, justum Justinianum nostrum mirè stolidum, & lento quàm simillimum asino fuisse! uti hæc habet dictus ille *Allemannus n. 42.* sed eleganter refutatus ab *Eichelio ad d. n. pag. m. 953 & seqq.* Nonne ex allegatis contrarium patet? Nonne cuivis antiquitates inspicienti dicere licebit, calumniandi animò Scriptores nonnullos illiteraturæ Imperatorem nostrum accusasse? Juris textibus insuper sententiam nostram probatam facientes §. 6. *in fine pr. C. de Vet. jure enucleando* ubi Imperator sic dicit, se semper investigando & perscrutando, quicquid dubium & incertum in Compositione Digestorum inveniebatur, rectè emendasse, & in competentem formam redegisse. *Conf. Nov. 8. in præfat.* in medium producimus. Quàmvis autem priori textui Dd. se opponant, dicentes, firmissimum inde argumentum deduci non posse, cùm in omnibus Edictis, mandatis, Rescriptis & Privilegiis ad subditorum utilitatem & incolumitatem concessis hanc clausulam etiam modernis moribus, cùm tamen Princeps ipse Mandatum aut privilegium ne oculis quidem viderit, quid dicam, legerit ac recognoverit? observari videamus: Adeoq; nullum dubium esse, eam & tunc temporis cùm Imperator Justinian. fortè & aliis negotiis occupatus, in usu fuisse. Verùm, quis tam impudentem (sunt verba *Erasmi Ungepaueri in Exercitijs Justinianicis Ex. 1. quest. 6.*) fuisse existimet Imperatorem, qui veracium solum amator est, *Nov. 58.* ut in re præsentis, atque apud Suos, rerum omnium non igna-



ignaros, falsò se jactare non erubesceret? *Tima: Faber in re-  
petit. extraordinar. Proëm. Instit. Corall. 1. 2.* Sed ne Soli lu-  
men inferre videar, pedem hîc figo, hæcque generalium lo-  
co de analphabetis, ac literaturæ Imperatoris nostri defensæ,  
gratiâ, dicta sunt.

## CAPUT II.

DE

Jure <sup>Αναλφαβήτων</sup> circa Juris Scientiam,  
Ignorantiam, & Jura Personarum agens.

## SUMMARIÆ.

<b>J</b> urisprudencia in actione consi- stit.	Utriusq; ignorantia describitur. 12.
Prærequirit tamen exactam juris cognitionem.	1. Neutra verò præsumitur. 13.
Proinde, ejus non sunt capaces anal- phabeti.	De illa assertio quoad analphetos 2. ulterius demonstratur. 14.
Licet quidam eorum extiterint exi- mij & Cti.	Hujus autem ignorantia pariter ne- 3. minem excusat. 15.
Id, quod exemplo quodam ex Came- rario probatur.	Ut nec juris Statutarij. 16.
Exempla tamen ea inter rarò Con- tingentia referenda.	4. In Rusticis tamen & in analphabetis eadem admittitur. 17. 18. & 19.
Quenam sit jurisprudencia tractan- da ratio.	5. Quod iterum limitatur. 20.
Dependet ea à primis principiis pra- cticis.	(1.) Si peritiores consulere ne- 6. queant. 21.
Eorum compendium & summa.	(2.) In solennibus juris. 22. & 23.
Eorundem quoq; notitiâ non desti- tuuntur analphabeti. Hinc qua- stio, an eos ignorantia juris excu- set?	(3.) In analphabetis sagaciorib; 24.
Distinguitur.	Transitio ad jura circa personam 8. analphabetorum. 25.
	9. Contraria juxta se posita magis elu- cescunt. 26.
	Hinc Servos Romanorum artem le- gendi & scribendi calluisse varij 10. textus docent. 27. & 28.
	11.

Ser-



Servi variis itidem disciplinis exco- lebantur. 29.	Quod tamen fallit in Patre in di- gnitate constituto. 41.
Servi olim an juris periti fuerint? 30.	In ordine Jurium circa personas ad materiam tutelarem accessus. 42.
An isti Medicina operam dede- rint? 31. & sqq.	Ad tutelam suscipiendam invitus quis cogi potest. 43.
Epictetus Philosophus servilis condi- tionis fuit. 33.	Quaest. An analphabetus à delata Tutela se excusare possit? 44.
Idem de Terentio Comico tradi- tur. 34.	Negativa defenditur. 45. & 47.
Servi Notarij plerumq; & Praecepto- res filiorum Domini erant. 35.	Prudentia usu quaesita praestat saepe doctrinali, quod exemplo proba- tur. 46.
Major literarum ratio in filiis fami- lias habenda est. 36. & sqq.	Pro quaestione decisionis distingui- tur, & Contrariis responde- tur. 48. 49. 50. 51.
Liberi adversus Parentes habent actionem praedictam, si eos prima literarum elementa in scholis doceri non curaverint, cum potuerint. 38.	Rationes tutelares in bacillis fissis reddere possunt analphabeti. 52.
Aliter illud ipsum limitatur in filio robusto & valido, ad alimenta actuuro. 39.	Pro facta distinctionis illustratione excusationum causas duplicis es- se generis, annectitur. 53.
Huius enim Pater non obligatur ad alimentorum praestationem. 40.	A Tutela negotiosa, & cujus pupil- lare patrimonium est diffusum, se merito excusat. 54.

**N**emo mortalium inficias ire audebit, Jurisprudentiæ me- 1.  
tam non nisi praxin esse. Etenim, cum hæc nostra Ju- 2.  
risprudencia Disciplina talis sit, quæ scientiam quidem ante  
omnia expetat, utpote quæ praxin præcedere debet. Pinellus  
ad L. 2. C. de Rescind. vendit. P. 2. C. 4. n. 2. non tamen in sola  
scientia acquiescat. Bachov. in Comm. ad ff. de I. & I. n. 5. Sed  
eam pro utilitate Reipublicæ in succum & sanguinem, hoc  
est, in praxim (quam Salutem Reipublicæ hic vocare placet)  
verti efflagitet: Analphabetos non saltem pro nec legenti-  
bus nec scribentibus; sed etiam pro idiotis & illiteratis sum-  
tos, de hac Prudentia Juris participare posse, valde ambigo.

C

Tales



3. Tales enim, qui nec legere nec scribere norunt, quâ, quâso, viâ ad hujus habitus acquisitionem pervenire queunt? Præprimis cum hujus sapientiæ montes nemo ascendere possit, nisi prima calleat elementa, studiis à teneris imbutus, gradatim ad eandem perveniat, eamque crebris exercitiis ubi familiarem faciat. Adhæc quomodo analphabeti hanc nostram æqui & boni artem *L. 1. pr. ff. de I. & I.* quæ docet, quid justitiæ conforme, quidve in singulis casibus, etiam specialiter non decis, pro Reipublicæ utilitate Jctus rectè respondere debeat. *Bachov. in Comm. ad L. 1. ff. de I. & I.* excolere valebunt? nisi, ut jam tum monuimus, jura crebris exercitiis scire appetierint. Fateor equidem, exempla nonnulla
4. Historicos sistere, quæ demonstratum reddunt, quosdam ad hunc Jurisprudentiæ tramitem pervenisse, qui primis elementis destituti, cum summa tamen laude, non saltem jura publicè professi fuère; Sed & Reipublicæ gubernacula, cum insigni ejusdem commodo tenuère. In conquirendis hodiernis exemplis nō ero sollicitus; sed ad antiquitatem me conferam & exemplum, non quidem probans *L. 12. ff. de Offic. Presid.* illustrans tamen §. 11. *Inst. de adopt.* cujus *Camerarius in hōris subcisivis Cent. 1. cap. 37.* mentionem facit, in medium
5. producam. Ait: *Nicasium de Werda, licet ab anno tertio atatis suæ oculis captus, & ob id etiam elementorū literarum penitus ignarus fuerit, non modò evangeliam publicè docuisse; sed & honoribus Doctoralibus utriusq; juris in Academia Coloniensi acceptis, ibidem in Gymnasiō publi è jura cum omnium stupore docuisse, libros utriusq;*
6. *juris; quos nunquam viderat aut legerat, memoriter recitasse.* Verùm enim verò, si hoc taliaque exempla plura mecum evolvo, rarò contingentia dico, quæ licet non rejicienda; nec tamen inde statim regula formanda *L. 3. & seqq. ff. de LL.*
7. Ordinaria enim jurisprudentiæ addiscendæ ratio exposcit ut ea si non in totum, tamen ex parte ex Sanctissimo justitiæ templo



templo *L. 1. §. 5. C. de V. J. E.* hauriatur, atque ad negotia civilia, in Societate politica occurrentia, prout salus Reipublicæ svadet, applicetur. Constat verò ac inter Jctos certum est, à DEO omnium hominum mentibus notitias naturales inditas esse, quæ ad justitiam colendam eos impellunt ac instigant *Oldendorp. Class. 1. Act. 1. §. quum n.* Huc collimat trium præceptorum in jure expressorum compendium, omniumque regularum juridicarum summa: Quod tibi non vis fieri alteri non feceris *Mattb. 7. v. 12.* Hujus juris cultores analphabetos esse posse, nemo negabit, præprimis cum hæc ipsa jurisprudentia omnium in hoc mundo vitam degentium cordibus sit indita atque inscripta *Rom. 2. 15.* quid? quod omnibus viventibus lumen rectæ rationis dictitet, suum cuivis esse tribuendum, quo observato, justitia culta & administrata erit. Ad hanc verò justitiæ administrationem, non ea quæ aliàs in jurisprudentia Systematicè sc. considerata requiruntur, desideramus; sed solam rationem incorruptam; quâ duce unusquisque honestè vivit, neminem lædit, suum cuivis tribuit, non Legibus sic disponentibus; sed rectæ rationis stimulo dictitante.

Vidimus hoc pacto, quâ ratione analphabeti jurisprudentes esse non possint, & quatenus esse possint. Sed ne extra oleas, ut dicunt, vagari videar, communem hic quaestionem, antequam ad promissam methodum me conferam, paucis tractere lubet, quâ ratione analphabetos juris ignorantia excuset? In antecessum monendi sumus neminique ignotum credo, juris ignorantiam vel juris naturalis esse, vel juris civilis. Illam dico nescientiam dictaminis rectæ rationis; hanc defectum scientiæ juridicæ circa ea quæ jus commune disponit. *Bartol. in L. 2. C. quando prov. non est necessum* neque illam neque hanc præsumi aut etiam excusare, pariter in omnium Theologorum ac Jctorum ore



est *can. Turbatur* 12 §. *item ignorantia* C. 1. Q. 4. cap 13. de R. J. 14. in 6to L. 9. ff. de J. & F. J. Gail. lib. 2. obs. 48. n. 22. Nemo enim, modò rationis sit capax, nescire debet id, quod ab ipsa natura mentibus nostris ingenitum & inscriptum, ut colligitur ex L. *si adulterium* 38. §. 1. ff. ad L. *Jul. de Adult. Conf. Zæf. ad Tit. ff. de J. & F. J. n. 2.* Omnes etiam leges, quæ constringunt hominum actiones, scire & intelligere debemus; & lata culpa est, juris dispositionem ignorare L. 9. C. de LL. lib. 2. Obs. 48. n. 17. Ita Sodomitam hujus abominandi sceleris ignarum fuisse (quàmvis Magnifici Jcti in celeberrima hac Academia, Dn. Præside referente, hoc ipsum exemplò quodam experti) non credendum. Ratio enim recta dicitur, vitium hoc detestandum, contra ingenitum naturæ lumen esse; cùm partim tales homines in absconditis locis nefandum hoc scelus perpetrare; partim etiam post perperationem tergiversari soleant. Quapropter si analphabetus contra hæc innata jura agat, eorumque ignorantiam propter primarum literarum destitutionem alleget, minimè audiendus erit.

15. Quod verò ignorantiam juris civilis spectat, me equidem non fugit, eandem neminem, cùm effatò Imperatoris jus finitum i. e. certum esse possit & debeat L. 2. ff. de J. & F. 16. J. excusare l. d. quodque adeò verum, ut & ignorantiam aut juris municipalis aut statutarii allegantem haud admittendum velint Dd. Gail. d. obs. n. 29. Conf. Card. Tusch. Tom. 4. 17. lit. I. concl. 11. n. 3. attamen cùm nec incognitum, Rusticis in aliquibus casibus, præsertim in jure expressis, vel ubi æquitas judicem commovere debet, juris ignorantiam esse concessam, ut latè tradit Renat. Choppinus de priv. Rusticor. lib. 1. P. 18. 2. C. 1. etiam analphabetos in certis casibus ob rationis identitatem, adeoque ob eandem juris dispositionem L. 32. ff. ad L. Aquil. & L. 108. de V. O. jus ignorare posse, non est quod dubi-



dubitem. Namque si rationem inquirere licet, ob quam Imperator rusticis subvenire voluit, non nisi rusticorum simplicitatem ad illud privilegium, ut jam *supra cap. 1.* diximus, eundem commovisse apparebit; Quippe cum Virgiliano sensu, hoc hominum genus planè sit forensium cautionum ingnarum *Choppin. d. l. c. 3.* Si ergò dicendum quod res est, etiam analphabetis ob hanc ipsam simplicitatem succurrendum esse existimo; Quodque non saltem Imperator *in L. ult. C. de testam.* dum rusticos & literarum imperitos combinat; Sed *Columella lib. 1. c. 8.* illiteratos cum Villicis comparans, cujus meminit *Duarenus Disp. animad. lib. 1. c. 3.* innuere voluisse videntur. At verò ne quis existimet nimis amplum hoc assertum esse, sciendum, hoc privilegium tum saltem locum habere, si analphabeti peritiores consulere nequeant *arg. L. 9. §. 3. ff. de J. & F. J.* Si enim Jctorum copiam habere possint, eos verò ob propriam simplicitatem haud consulere malint, ignorantiam juris allegantes, minimè excusari possunt *L. 10. ff. de bon. poss. L. 2. §. ult. ff. Quis ordo in poss. Mascard. Concl. 1081. n. 25. Conf. Bursat. Consil. 404. n. 37.* quàmvis etiam prudentes illi non in loco; sed in vicinia reperiantur *Tiraquell. de retract. Convent. §. 4. gloss. 7. in fin.* uti citatur à *B. Dn. Brunnemanno in Comm. ff. ad L. 9. de J. & F. J.* Fallunt autem hæc ipsa in hisce omnibus, quæ ad rigorem juris conservandum vel ad actûs solennitatem sunt inducta. *Socin. Regul. 18. referente Tuscho Lit. R. Cond. 372.* Hinc analphabetus aut quilibet instrumenta aut probationes intra tempus vel à lege, vel statuto, vel à Judice non producens propter juris ignorantiam aut Advocati inscitiam, rigoris judiciorum conservandi causâ nequâquam excusatur. *Bald. in L. Juris ignorantiam C. qui admitti ad bon. poss. Salyc. in L. pen. C. eodem, idemq; approbat Bart. in L. 1. §. nunciatio circa fin. ff. de novi oper. nunciat.*



22. *ciat.* Parili modò nec analphabetus testamentum condens pauciores testes, quàm quot de jure requiruntur adhibere potest, sique hoc faciat & per errorem ea quæ ad testamenti formam sunt inducta omittat, juris ignorantia, aut consilii peritorum defectu se tegens, audiendus non erit; imò dicimus, actum sic celebratum ipsò jure nullum esse; ut
23. est *gloss. singularis in verb. non ex mente in l. ambiguitates C. de Testam.* hucque facit *l. nemo potest, cum illic notatis ff. de legat. 1.* ob rationem: Quia forma à Lege tradita ad unguem non observata, reddit actum ipso jure nullum *Alexander. Conf. 137. n. 15. Vol. 2.* adeò ut à forma per Legem vel statutum tradita, ne quidem consentientibus partibus recedi possit. *Roland. à Valle in Consil. 72. Vol. 3. Conf. Zubrodt in Tract. de comparat. literarum cap. 4. n. 4.* Notandum insuper analphabetis sagacibus hoc privilegium ut sc. juris ignorantiam prætere tendere possint, haud competere. Ut enim simplicibus ac sinceris jura succurrunt *cap. 24. X. de Appellat. & cap. 2. X. de Sortil.* Ita econtra jura sagacibus & quadratis, ut ait *Baldus in l. ult. pr. C. de Testam.* pœnis occurrunt.
25. Hisce jam enodatis ad methodum promissam ut perveniamus, ratio suadet, ubi ante omnia personarum jura pro ingenii modiolo videbimus. Cognitum verò est, inter illas personas, quæ alieno juri subjacent, alias in potestate Parentum, alias in potestate Dominorum esse, quæ nomine Servorum comprehendendi solent *pr. & §. 1. Instit. de his, qui*
26. *sui vel alieni jur.* Jura servorum illiteratorum, cùm peculiare ab aliis illiteratis non contineant, exponere necessarium non duco; potiùs à contrario, utpote cùm contraria Magno Erasmo teste lumen disputationi adferant. *Everhardus à Milæburg in Loc. top. 19. n. 6.* Servorum Romanorum literaturam hic parumper enodabimus. Hanc, si pro arte legendi & scribendi accipiatur, etiam Romanorum Servos calluisse, constat.
- Sic



Sic Romani Servos habebant, qui Dominis rationes reddere: 7.  
tenebantur, & nomine actuariorum veniebant. *L. 1. §. ult. ff. de servo corrupto.* Si enim quis Servorum, qui ratiociniis obnoxius, manumittebatur, primum rationes reddere, & reliqua præstare debebat. *L. 1. §. 4. C. de Comm. Servo manum. Conf. L. 12. §. 2. C. de petit. hered.* Comprobatam insuper 28.  
hanc nostram thesin reddimus ex *L. 52 §. 24. ff. de Furtis.* ubi quæritur, si Servo persuasum, ut tabulas describeret, qua actione agendum? & dicitur, si probatum reddi posset, Servo hoc persuasum fuisse, Domino actionem servi corrupti; Si autem citra persuasionem & voluntariò easdem descripserit, de dolo actionem competere. Ita etiam ex *L. fin. C. de his, qui sibi in testam adscrib.* patet, Servum manu sua, Domino imperante, sibi libertatem (quam tamen non acquirit; sed pœnam incurrit, nisi subscriptio Domini subsequuta) adscribere posse. Literatura si pro varia scientiarum eruditio- 29.  
ne sumatur, eam ipsam & Servis competiisse, sequentia indicabunt. Sic inter Servos juris peritos fuisse, extra omnem 30.  
dubitationis aleam positum. Qua enim ratione Servus Barbarius Philippus, cujus fit mentio in *L. 3. de Off. Prætor.* dignitate illa Prætoria fungi potuisset, nisi jus duodecim tabularum tanquam Bibliothecam omnium Philosophorum *Cicero de Orator. lib. 1. cap. 44.* sibi familiare fecisset, & ea, quæ in *LL. XII. Tabularum* duriùs posita videbantur constituta, moderando & æquitatis rationem habendo (in eo enim Prætorum officium consistebat) *Förster Histor. I. C. Lib. 2. c. 84.* pro arbitrio suo jus dixisset. Quid dicam de nobilissima Medi- 31.  
cinæ Scientia? Hic sanè amplissimus sese dicendi campus offert, homines servilis conditionis eam professos fuisse, ut est in *L. Tlais 41. §. 6. ff. de fideicomm. libert. L. Medicus 26. ff. de Oper. Libert L. 16. §. 1. ff. de aliment vel cibar. legat. L. 3. C. Communia de Legatis.* Et licet nonnulli Doctorum sint, qui dictos  
textus



textus de Medicina empirica, tanquam à theorica separata, velint intellectos; Sciant tamen, quòd, quàmvis dubia hæc restrictio sit, pace eorum tamen dixerim, servos non omnes planè repellere à se artes liberales, quæ aliàs libero homine dignæ. *Godofred. in L. fin. §. ult. ff. de Ædilitio Edicto. lit. D. cum & ipsi Liberalibus Studiis erudiri possint. d. l. fin. §. ult. Conf. Sez. nec. epist. 47.* Exempla enim non pauca demõstratum reddunt, multos Servorum, ad summum nobilissimarum artium culmen pervenisse. Ita *Apulejus in Apologia sua* Servi Themisonis meminit, de quo ait: Eundem Medicinæ non ignarum fuisse, ad quem locum *Scipio Gentilis* hunc in modum commentatus est: *Hoc nomen, intellige Themisonis, qui Magni haberi in arte Medica volebant, vel omnis boni causa olim sumebant, præsertim Servi, quorum possessio illa ars, alioquin nobilissima, erat apud Romanos.* Exempla alia vide apud *Tiraquellum de Nobilitate cap. 31. n. 410. & n. 524.* Silentio tamen non prætermittendum, *Epictetum* certissimum ad Sapientiam Magistrum *Lipsius Cent. 3. ad Belg. epist. 95.* origine vilem, & inter Servos connumeratum fuisse, ut & ipse de se epigrammation hoc scripsit:

Δῆλος Ἐπίκλητος γενόμεν καὶ σῶμ' ἀνάπηρος  
καὶ πενίην ἴρος, καὶ Φίλος ἀθανάτοις.

hoc est:

*Servus Epictetus sum, natus corpore claudus,  
Irus pauperie, Delicia Superùm.*

Uti hæc habet *Lipsius in Philosophia & Philologia Stoica Lib. 1. 34. Diff. 19.* Nec omittendum, ipsum *Terentium* Latinitatis ferè Principem Servum fuisse, uti hoc ex *Hexasticho* ab ipso conscriptò intelligere licet:

*Natus in excelsis tectis Carthaginis alta,  
Romanis Ducibus bellica præda fui,  
Descripsi mores hominum, juvenumq̄, Senumq̄,  
Qualiter & Servi decipiant Dominos.*

Quid



*Quid Meretrix, quid Leno dolis confingat avarus:*

*Hæc, quicumq; legit, sic, puto, cautus erit.*

*Vid. inter cæteras Terentianas editiones Cornelij Schrivelij, quæ initio vitæ Publii Terentii meminit, eundem Romæ Terentio Lucano Senatori servivisse, à quo ob ingenium & formam non institutus modò liberaliter; sed & maturè manumissus fuerit. Conf. elogia veterum ibid. ubi patet, dictum hexastichon in antiquo Mss. Bibliothecæ Regis Galliæ extare. Dicendi materiam haberem de l. 43. ff. de contrab. empt. ubi 35. Jctus expressis verbis de Servo literato dicit; agere possem de Notariis, quorum aliqui apud Romanos Servi fuerunt. l. 3. C. Comm. de legat. nec probatu difficile esset, Servos antiquitus filiorum familias Præceptores, totius vitæ ac morum Inspectores fuisse. §. 5. Instit. Qui & ex quib. caus. man. non lic. Conf. Luc. Fruterius lib. 2. verisimilium cap. 11. quem vide in Tomo 2. Thesauri Critici Gruteri; At verò cum, ut ego arbitror, Servorum literatura ex abundantia ostensa sit, substitimus, & ad illas personas, quæ sub potestate Parentum continetur, paucis nos conferimus.*

In hac igitur potestate sunt Liberi ex justis nuptiis procreati. *pr. Instit. de patria potestate, quos Parentes non solum educare, sed & bene educare necessum habent. Ad bonam verò educationem non saltem alimenta, verum etiam studia necessaria, quæ ad alimenta pertinent, Georg. Acac. Baro ab Enenkel de Privil. Par. & Liber. Privil. 7. c. 2. n. 3. referimus; cum pii Patris sit, curare, ut præter alimenta etiam Studiis Liberalibus Liberi diligenter imbuantur l. 4. ff. ubi pupill. educ. deb. l. 6. §. 5. de Carbon. Edicto. Conf. Surdus de alimentis Tit. 4. qu. 6. n. 5 & sqq. At verò surdis plerumque Parentibus 37. narratur fabula, & eò proh dolor! perventum, ut Liberis de multis opibus prospiciant; ut autem boni ac egregii evadant, negligent: Cum tamen, si Liberos magni pretii homines ef-*

D

fccc-



fecerint, quàmvis paucas opes relinquunt, multa ipsis Paren-  
 tes largiti sint. *Xenophon epist. ad Criton. apud Stobæum Serm. 81 f.*  
 Ut igitur Parentes suò officio fungantur, operam adhibe-  
 bunt, quò Liberi, si non literati, hoc est, Artium Liberalium  
 Doctores; non tamen analphabeti sive illiterati, ob plurima  
 inde incommoda emergentia, quæ cuivis meditanda relin-  
 38. quo, evadant. Hinc si Parentes Liberos ad Scholas non mi-  
 serint, sed ipsos quòvis ἀναλφαβήτω rudiores reliquerint,  
 cùm tamen Parentum opes hoc admittere valuerint (secus  
 enim est, si necessitate, utpote quæ legem non habere dici-  
 tur. *L. 7. pr. de administrat. Tutor. & L. 1. C. de oper. libert. ex-*  
*cludantur*) Liberi contra Parentes, quantum mihi videtur,  
 salvò aliorum meliori iudicio, actionem præjudicialem ha-  
 bebunt *Struv. in Jurisprud. forensi Tit. de præjudicialibus actioib.*  
*§. 7.* Quàmvis nec negandum, filium contra Patrem ob po-  
 testatis vinculum nullam aliàs actionem habentem, *L. Lis*  
*nulla ff. de judiciis & §. 12. Instit. de obligat. quæ ex delicto nasc.*  
*optimo jure ad nobile Judicis officium confugere posse. Ol-*  
*dendorp. de officio Judicis §. 2. Quod scriptum ejusdem progymna-*  
*smatibus actionum forensium præmissum videbis. Conf. d. Baro*  
 39. *ab Enekel priv. 18. cap. 4. n. 8.* Intellecta verò hæc omnia  
 sic volumus, si filius legendi & scribendi ignarus hanc ipsam  
 artem addiscere cupiat; secus si Patris negligentia analpha-  
 betus relictus; firmis tamen corporis membris existens, con-  
 tra Patrem ad vitæ dies pro impetrandis alimentis agere vel-  
 let. Tunc enim, etiamsi hîc Patrem in culpa esse sciamus, re-  
 pellendum eum putamus; cùm filius in eo statu, corporis sui  
 laboribus sibi victum & amictum quærere teneatur. *Bartol.*  
*ad L. si quis à Liberis. §. sed si filius. ff. de liber. agnosc. ubi n. 7.*  
 40. *ait: Filio sano & robusto valenti operari, non tenetur Pater mi-*  
 41. *nistrare alimenta.* Vix autem ac ne vix quidem hoc ipsum  
 in filiofamilias Patris in dignitate constituti locum habebit;  
 huic



huic enim indecorum esset, sui corporis laboribus sibi ad vitam necessaria quærere. *Vid. præter Bartol. in L. 1. n. 7. C. de mendicant. valid. Surdus Tit. 7. q. 6. n. 12.*

Ad aliam personarum divisionem ut veniamus, materiæ ordo suadet. Sunt autem personæ, quæ non in potestate sunt, quædam vel in tutela vel curatela *pr. Instit. de Tut.* sed cùm eadem ferè de curatela dicere liceat, quæ de Tutela, illâ missâ, ad hanc nos conferimus. Ad Tutelam suscipiendam etiam invitos, Reipublicæ commodi causâ, cogi posse, certum. *L. 9. ff. de Muner. L. 3. C. de suspect. tutor.* ut nec incertum, Justinianum nostrum itidem ob Reipublicæ utilitatem, ab hoc onere quosdam liberos voluisse, quod in *tit. Instit. ff. C. de excusat. Tutor.* videre est. Jura autem introspicere lubet, numne Imperator inter eos, qui excusationem prætere possunt, etiam analphabetos connumeratos voluerit? Sanè si accuratius quæstionem datam nobiscum evolvimus, summopere Doctores inter se digladiantes cernimus, adeo ut & Hermanno Vultejo speciale caput multarum paginarum in *Disceptationibus suis Scholasticis*, de hac materie conscribere placuerit. In affirmantium castra iremus, moti ob *§. Similiter 8. Instit. de Excusat. Tutor. Nisi L. Athletæ 45. §. ult. ff. d. t.* nobis contrariam videremus. Affirmantium igitur castris relictis, non sine ratione in Negantium descendimus. Experienciâ enim edocemur, literarum imperitos solâ naturali solertiâ sæpius literarum peritis in aliquibus palmam præripere. Ita de Mommerancio refert *Grammon-46 dus in Historia Gallie L. 1. p. m. 51.* Eum non modò literas nescivisse; sed ne prima quidem elementa, ut portento haud absimile videri possit, Virum literatum penitus rudem, solò naturæ geniò, summum rerum apicem assequutum, quem ambiguis temporibus tenuit tanta laude, ut Aulicorum ætatis suæ Princeps fuerit, seu Natales, seu Fortunam aut animi



dotes attendas. Ut ergò nostra animi sensa hìc exprimamus, ad hoc onus suscipiendum etiam invitos analphabetos ob jam tam allegatam *L. Athleta* cogi posse, asserere placet. Jura enim constituunt, ac Doctores inter se certi sunt, illiteratos, modò usu rerum periti sint, ad negotiorum administrationem sufficere posse. *L. 17. C. de judic. & L. 6. C. de Decurion.* Cùm prudentia negotiorum administrandorum plerumque rectiùs ex ipso rerum usu & foro, quàm ex libris colligi possit. *Frid. Balduin. ad §. Sed & propter. Instit. de excusat. Tutor.* ubi addit: Hanc rerum peritiam diligentius tueri rem familiarem, & rectiùs administrare Oeconomiam, quàm ulla umbratilis Philosophorum sapientia, & ut *Duarenus Lib. 1. Disputat. animadvers. c. 3.* inquit: Eos, qui literarum studiis se dediderunt, ad res gerendas ferè ineptiores illiteratis esse.

47 Paulum verò & Modestinum affirmantes, analphabetos Tutores esse posse *d. l. Athleta*, & Divum Pium ac Divum Justinianum contrarium asserentes, & §. *Similiter Instit. d. t.* ut

48 inter se conciliem⁹, distinguendum putamus: inter analphabetos negotiorum gerendorum expertes, & analphabetos negotiorum peritos, ita ut priores, nequaquam verò posteriores à tutela suscipienda excusari possint. *Vid. præter Pacium in enantiop. Cent. 5. quest. 82. Schneidw. Mynsing & Dd. ad §. Similiter d. t. Vid. plurib. Herm. Vultejus in Discept. Scholast. cap. 8.*

49 At verò posset hìc aliquis excipere, Tutorem ante omnia inventarium suæ & pupilli utilitatis causâ conscribere debere. *L. 7. ff. & L. 24. C. de administrat. Tutor. Nov 94. in fin. Policens Ordnung zu Franckfurt de Anno 1577. tit. 32.* Siq̄ue hujus conscriptionem omittat, eundem in dolo esse, jura præsumere *Socin. Consil. 159 pr. lib. 2.* præter inventarium quoque ad suæ administrationis rationes reddendas teneri. §. *ult. Instit. de Attiliano Tutore L. 1. pr. & §. ult. ff. de Tut. & ration. distrab.* neutrum verò ab analphabeto expediri posse. Cui responde-

mus,



mus, nec prius nec posterius objectionis locò motum tanti<sup>50.</sup>  
 esse, ut nostram sententiam infringere possit. Inventarium  
 enim ut conscribatur, approbamus: Si verò ab Analphabe-  
 to ejus conscriptio omissa fuerit, propterea non statim ut su-  
 spectus removendus, cum inventarium non ex malitia, sed  
 ex literarum defectu & simplicitate conficere non valuerit.  
*Vid. Habn ad tit. ff. de suspectis Tutor. n. 7.* adeoque hoc casu  
 talismodi Tutor juratò, quid & quantum acceperit, indica-  
 bit. *Carpz. P. 2. C. 11. Df. 6. n. 6.* licet non negandum, inven-  
 tarii conscriptionem propter literarum incitiam alio: um li-  
 terarum scientià, puta Notariorum, ut infra monebimus,  
 suppleri posse. *Vid. Vultejus l. d.* Ad alterum quod spectat,<sup>51.</sup>  
 analphabetum per alium amanuensem fortè, aut unum ex  
 Ministris suis rationes conficere posse, nemo negabit. *Duare-*  
*mus in Disputat. animadvers. lib. 1. c. 3.* Quippe solliciti saltem  
 hìc sumus, ne damnum pupillus ex tutelæ gestione sentiat;  
 adeoque si convenienter res pupillares administratæ fue-  
 rint, idem erit, sive Tutor per se, sive per alium confecerit,  
 easdemque reddiderit. Quippe in rationibus conficiendis  
 tritam hìc regulam locum habere, nullus dubito: **Quod**  
**quis per alium facit, per se fecisse putandus est.** *arg. L.*  
*71. §. 5. ff. de acquir. hered. & cap. 72. de R. I. in 6to.* Notandum<sup>52.</sup>  
 insuper, si facultates pupilli non adeo magnæ sint, ad quarum  
 administrationem sæpius analphetos recipere solemus, eos-  
 dem per bacillum fissum, Germ: *Kerb. Stock* plenè proban-  
 tem. *Carpz. P. 2. C. 4. Df. 7.* rationes gerere posse, modò non  
 tumultuariò in uno bacillo omnia; sed in uno accepta, in  
 altero expensa signis consignaverint. *Vid. erudita Disputatio*  
*sub Dn. Preside habita de Bacillis fissis cap 3. n. 26.* Nos colopho-<sup>53.</sup>  
 nis gratià annectimus, excusationis causas esse duplices, alias  
 ex se & semper habiles, alias non item; sed earum cognitio-  
 nem ad judicem spectare, qui diligenter ex circumstantiis



obvenientibus judicabit, an excusationis causæ sint appro-  
 §4bandæ & admittendæ, nec ne. Exempli loco erit: Si magnæ  
 essent pupilli facultates, & Analphabetus tutelam solus subi-  
 re deberet, excusationem Analphabeto non denegandam  
 existimarem, præsertim cum hi non satis commodè aliqua  
 expedire possint, quæ hîc fortassis expedienda venirent. *Ba-*  
*chov. ad Treutlerum P. 2. Diss. 9. tb. 2. Lit. F.* Pedem jam cir-  
 ca Personarum jura ponentes, huic nostro capiti finem im-  
 ponimus.

## CAPUT III.

Jura *Αιαλφαβήτων* circa actus  
 inter vivos perlustrans.

## SUMMARI A.

<b>C</b> ontinuatio.	1. Probationis tamen gratiâ scriptura intervenire potest.	11.
Quisque rerum suarum mode- rator & arbiter est.	2. Quo in casu quomodo ab analphabe- to servitus constituenda.	12.
Ad bene esse actuum inter vivos ho- die plerumque requiritur scri- ptura.	3. Analphabetus, cuj plenum est rerum suarum dominium, donare po- test.	13.
Hinc triplex contractuum institui- tur consideratio.	4. Ad donationem inter vivos scriptu- ra non est absolutè necessaria.	14.
Alij sunt indifferentes ratione Scri- ptura.	5. Ad ejus tamen probationem adbi- beri potest.	19.
In aliis quoad probationem tantum requiritur scriptura.	6. Eoq; in casu analphabetus Notarij operâ uti poterit.	15.
In aliis de substantia est scriptura.	7. Quomodo Contractus reales cautè sint celebrandi?	17.
Servitutes tam reales quàm per- sonales analphabetus prædiis suis imponere potest.	8. Contractus consensuales sine scriptu- ra perficiuntur.	18. & 20.
Respondetur textibus obstantibus.	9. Quod Præjudicio Cam, Ele& Brand. confirmatur.	19.
Servitutes solâ patientiâ constituû- tur.	10.	19.

Scri-



ACTUS INTER VIVOS PERLUSTRANS. 31

Scriptura tamen in iis saepe interve- nire solet ex singulari conventio- ne contrahentium. 21	bratur, non ruri. 26
Et tunc Contractus ante scripturam non est perfectus. 22	Ibi enim 3 testes sufficiunt. 37.
Imò pœnitentia concessa. 23	Nec d. Nov. obtinet, nisi in summa auri libram excedente. 38.
Cessante verò illa conventionem ces- sat necessitas scripturae. 24	Ratio istius constitutionis traditur 39.
Analphabetus in eiusmodi contracti- bus, quando scriptura est necessa- ria, Notarium adhibere debet. 25	Eadem Nov. 73. hodie non est abo- lita. 40.
Notarius ipse, non per Scribam suum subscribere tenetur. 26	Communitè tamen hodie Notarius cum duobus saltem testibus adhi- betur. 41.
Notarij Analphabetos de beneficiis suis certiorare debent, si quando iis renunciandum sit. 27	Aut defectus requisitorum illius No- vella per recognitionem ipsius scri- pturae analphabetorum supplen- dus est, si cetera sint paria. 42.
Nemo enim ignorans jus suum, re- nunciaturus presumitur. 28	Id quod ulterius probatur. 43.
Notarius analphabetis etiam termi- nos juridicos explicare debet. 29	Et analphabetos ad recognitionem instrumenti suo nomine confecti teneri Carpzovius tradit. 44.
Et confectum instrumentum Parti- bus prælegendum est. 30	Recognitio illa analphabetorum ex- tenditur etiam ad sigilla. 45.
In Contractibus analphabetorum in scriptura celebrandis ex Nov. 73. c. 8. V. testes cum Notario requi- runtur. 31	Ad rationes dubitantium super re- cognitione analphabeti responde- tur. 46.
Quatuor requisita in illis, ut hoc lo- cum obtineat, supponuntur. 32	Analphabetus coram Magistratu contractum gerere potest. 47.
In contractu literarum periti testes cum juramento sufficiunt. 33	Quest. Si analphabetus testis fuerit adhibitus alieno contractui, quo- modo recognitio sit instituenda, remissivè tractata. 48.
Et quidem testes duo sufficiunt. 34	Quest. An Analphabeto ad nomen suum contractui subscribendum, manus ab altero duci queat, per casum & distinctiones explica- tur. 49. & sqq.
Dispositio Nov. 73. tantum obtinet, si in scriptis contrahere placue- rit. 35	
Item, si in Civitate contractus cele-	

Circa



1. Circa ea hætenus, quæ de personarum jure pro ingenii viribus à nobis tradi potuere, occupati fuimus, ordo jam svadebit, ut nos ad ea conferamus, quæ de jure rerum notatu digna dici possunt. Cùm autem quilibet de rebus modò
2. suis & propriis, partim circa actus inter vivos celebrandos; partim circa ultimas voluntates, prout velit, disponere possit *L. 14. C. de contrab. empt.* capitis hujus sermo ad actus inter vivos directus erit. Actus illi sunt varii & moribus ad eò
3. majorem fidem & securitatem, præsertim quia hominum memoria labilis *L. 44. de acquir. poss.* plerumque mediante Scripturâ inter partes celebrari solent. Videbimus autem
4. in quibus illa sit necessaria nec ne? Quippe hõc cognitõ facile asserendum veniet, quomodo analphabeti circa eas solennitates in variis actibus observandas, se gerere possint, & debeant. In antecessum igitur monemus, tres quasi species contractuũ ratione scripturæ quæ de iisdem est conficienda vel non, observandas esse. Ita reperiuntur Contractus
5. indifferentes, quos pacta generali contractus nomine sumpto *vid. Dd. in Tract. Dn. Cunonis de Pactis cap. 2. n. 2.* vocare placet, ad quos, si velis, scripturam adhibebis, aut si eam omiseris, non inde vitiosus redditur contractus. Dantur contractus,
6. generaliter contractus nomine sumpto, quorum substantia non quidem scripturam desiderat, ut tamen contractum probare possis sic vel sic gestum esse, scriptura requiritur. Tandem & ultimò locò sunt quidam contractus qui neces-
7. sariò scripturam desiderant; ut est literarum obligatio, quippe remotis literis non rectè diceretur literarum obligatio, aut si partes inter se conveniant, scripturam tanquam substantiale intervenire debere, quæ si omissa, contractus erit nullus. *Sicbardus ad Auth. sub novo jure C. si certum petatur.* Thesin ad hypothesin ut applicemus, haud ne-
8. gari



gari poterit, analphabetum, si sit rei suæ Dominus, non modò servitutem realem; Sed & personalem rei suæ citra Scripturæ interventum imponere posse. Et licèt §. *fin. Instit. 9. de Servit. R. & U. prædiorum* & §. 1. *Inst. de usufructu* velint, pactionibus & stipulationibus eas servitutes constituendas esse; Non tamen consequi inde concedimus, ad pacti essentiam scripturam esse necessariam, utpote cum pactum nullam requirat scripturam *L. 17. C. de Pactis* & ad harum *L. 10. servitutum* constitutionem solus consensus, solaque patientia sufficere possit, cum primis si Dominus prædii servientis servitutem à se promissam exerceri patiatur. *L. fin. ff. de Servit.* Largimur tamen melioris probationis & firmiter testimonii causa scripturam intervenire posse; Inde verò pacti substantia non mutatur, quamvis extrinsecus aliquid, ut est scriptura, intercedat. *Göddeus de contrab. & committ. stipul. cap. 3. concl. 13.* Quid verò analphabetus hic aget? quâ *L. 12. ratione* scripturam in majorem constitutæ servitutis probationem conficiet? Paucis me ut expediam, ad Solennitates juris Gentium recurrendum esse puto, duosque hic testes sufficere posse, qui analphabeti literaturæ defectum suis subscriptionibus supplebunt; Cùm aliàs ad cujusvis negotii expeditionem duo vel tres testes sufficiant. *Deuter. 19. v. 16. Matth. 18. v. 16.*

Progredimur, & ad secundam speciem traditam *Do- 13. nationem* referimus. Hâc analphabetum, modò sit plenè rei suæ Dominus, in eoque statu ut testamentum condere valeat, *L. Senectus 17. C. de Donat.* res quas velit in alium transferre posse, non est quin dubitem. Cùm autem donatio vel fiat inter vivos, vel mortis causa, perlustrabimus, an ad donationis inter vivos (cum donatio mortis causa sine lite- *L. 14. rarum* suppositione fieri possit *L. fin. C. de Donat.*) perfectionem.

E

nem.



- nem h. e. si de jure subsistere debeat, scriptura requiratur, & quomodo analphabetus eam ipsam solennitatem celebrare queat? Sciendum, hanc donationem olim non perfectam fuisse, nisi vel stipulatione vel traditione munita esset; hodiè autem, modò de solo consensu donantis & donatarii constet, perficitur, adeò ut de necessitate absoluta scriptura non sit necessaria, quàmvis de necessitate hypothetica intervenire possit. Ut enim venditio est perfecta, si de consensu constat, etiamsi scriptura non intercedat *B. Dn. Brunnem. in repetit. paratitl. Wesenb. de contrab. empt. quest. 7. Doctoresque passim*, etiam Donatio ad exemplum venditionis plenissimum robur habebit, modò consensus fuerit perfectus §. 2.
15. *Instit. de Donat.* Ast cum de die in diem hominum perversitates crescant, facilèq; promissa, ob sinceram pro dolor! fidem ab usu recedentem, *vid. Dn. Mevius in Comm. über des Herzogthums Bremen Constitution von wucherlichen Contracten cap. 1. n. 6.* negentur, majores cautelæ rerum promissarum, in nos transferendarum causa quotidie excogitantur, adeòq; & hic in majorem perfectionis fidem, scripturam præter duorum testium & donantis & donatarii subscriptione munitam, intervenire posse, arridet; præsertim cum hodiè super plerisque Contractibus instrumenta conficiantur, non ut obligatio in scriptis fiat; sed tantum ut eò facilius veritas rei gestæ per scripturam seu instrumentum probetur *L. 4. ff. de pignor. L. 4. ff. de Fide instrum. Conf. Carpz. P. 2. c. 33. Def. 13.*
16. n. 3. Quà autem ratione analphabetus hunc donationis actum gerere possit, nihil quidem dispositum scio; crediderim tamen defectum subscriptionis hic per Notarium publicum, cujus in conscribendis instrumentis fides magni habetur, desuper instrumentum conficientem suppleri posse.
17. Ad ultimam speciem referimus omnes obligationes ex Contractu descendentes, qui sunt vel reales vel consensua-



suales. Priorum naturam exponere tum materiae magnitudo & multitudo, tum à nostro scopo aliena non admitterent; Exponemus tamen, si quis cautè eos celebrare cupiat, quomodo id facere debeat. De horum Contractuum cautela dispositum cernimus *in Nov. 73. c. 1. § sq. § inde desumpta Auth. si quis vult cautè C. qui pot. in pignore.* ubi inter alia hæc habentur: *Si quis cautè mutui aut alterius cujuscumque Contractus* quæ verba cum generalia sint adeòq; ad omnes Contractus applicanda: *instrumentum conficere velit, § nolit hoc specialiter in publico confiteri, præter instrumenti confectioem trium testium fide dignorum subscriptionem adhibebit,* ex ratione; cum sola scriptura ad probationem sufficiens esse nequeat, quippe facili negotio in ea adulterina sigilla fictitiæque subscriptiones sub alterius nomine supponi possint. *Bart. ad d. Auth. n. 3.* Verùm antequam ad analphabetorum cautelam, quomodo sc. hosce contractus cautè gerere ac confirmare debeant, perveniamus, nonnulla de Contractibus consensualibus videbimus. Hosce perfectos esse etiamsi nulla interveniat scriptura, neminem negare arbitror *Vid. Godofred. ad L. 17. C. de Pactis.* veluti etiam in Camera Electorali Anno 1604. decisum hisce ferè formalibus: *Weil Görzke einwenden nicht erheblich befunden worden / in Ansehen daß Scriptura nicht de Substantia Contractus, sol Görzke Schlaberndorffen auch diesen Rest des Habers abzutragen schuldig seyn.* Si enim horum contractuum naturam introspicere licet, sufficit nos circa eorum validitatem de partium contrahentium consensu sollicitos esse. *per Tit. Inst. de Obligat. ex Consensu.* Enim verò cum quilibet rei suæ legem dicere queat, contrahentes etiam contractibus conventiones adjicere posse, nullus dubito. Ita sæpius nonnulli contrahunt, contractus subsistentiam non valere debere, nisi scriptura intercesserit, in eamque contractus redacti fuerint;



22. nonnullis verò contrarium placet. Prior conventio, si probari poterit, obligatio nondum valida erit, nisi instrumentum desuper confectum, confectum in mundum redactum & partium subscriptionibus munitum fuerit. *L. 17. C. de fide instrum. ibiq; Dn. Brunnem.* hocque adeò verum est ut & pendente instrumenti confectioe pœnitentiæ locus sit. *Carpz. P. 2. C. 33. Def. 12.* illicque in in præjudicio: *Derowes gen der Verfauffer nochmals zu pœnitiren wol befugt ist/* ratione ducti, quod cujusque contractus & conventionis initium spectandum sit ad dignoscendam ejus naturam & qualitatem *L. 8. in pr. ff. mandati L. 1. §. 19. ff. Depositi. Conf.*
24. *Carpz. d. l.* Posterior conventio certa & valida erit, solo constante consensu, nulloq; interveniente pœnitendi actu. Jam
25. videbimus, quomodo analphabetus, si cautè contrahere velit, talismodi Contractus celebrare possit & debeat? De hac materie cum in jure satis clarè dispositum cernamus, dispositiones illas in medium producere placet. Dicit Imperator *in Nov. 44. prefat. § c. 1.* Analphabetum contrahere volentem Notarium, licèt *Alciatus 6. § 8. Parerg.* duos hic requirat, assumere posse, qui pro ipso subscribat, ac verè & sincerè inter contrahentes, si necessarium, acta
26. demonstret. Subsistendum hic aliquantulum putamus & de Notariis aliqua referre placet, quæ circa analphabetorum contractus observatu necessaria. Notarii, quos etiam Tabelliones vocamus per *d. Nov.* ipsimet contrahentes adire jubentur, & neutiquam discipulos aut substitutos mittere, ne analphabeti dicendi occasionem arripiant, dolosè acta
27. esse, quæ acta sunt. Analphabetos etiam aut quosvis idiotas vel illiteratos, si fidejubere aut alium actum celebrare debeant, certiores reddent de beneficiis ipsis competentibus, cum iis renunciare debent, ne conventi, exceptio-
28. nem non factæ certiorationis opponere queant; Quippe bene-



beneficiorum renunciatio in omnibus præprimis in materia fidejussionis, locum habere nequit, si renuncians de beneficiis suis non fuerit certioratus. *Gail. lib. 2. Obs. 27. n. 24. Pruckman. Conf. 3. n. 57. & seq.* ex ratione: Quia ignorans renunciare, recusare aut repudiare jus suum non censetur *Job. Bapt. Costa de J. & F. Ignorantia insp. 86. n. 1. & seq.* nemòque ea quæ sibi competere nescit remittere præsumitur *L. 35. ff. de Pactis*. Adeoque in eo potissimum erit constitutum Notariorum officium, ut non saltem mulieribus, quas analphabetis sive idiotis *Pruckman. Vol. 2. Conf. 3. n. 65.* comparat, & quibusvis idiotis suorum à jure concessorum beneficiorum memoriam, ne inconsultò renuncient, incutiant *Volckman. de informat. Notar. P. 1. c. 7. n. 4.* Sed & omnes terminos juridicos analphabetis explicent, eosq; quantum fieri potest teutonicè exprimant, *Conf. Ernestus Cotbmannus Resp. 23. n. 30. 25. Vol. IV.* de super instrumentum conficiant, hocque secundum *Constitutionem Maximiliani Notariorum de Anno 1512.* § 12 partibus prælegant, ne contra hæc acta exceptione doli aut alià se tueri possint, & ita Contractus fides pereat. *Decius de fide instrument. c. 1. n. 14.* Alia constitutio extat in *Nov. 73. c. 8. & seq. & inde petita Auth. sed novo jure C. si cert. petat.* ubi Imperator Notarium cum quinque testibus, inter quos tamen Notarius connumerabitur, si in loco aliquis reperiatur, aut si non adsit, alium quempiam literarum peritum, qui instrumentum pro partibus illiteratis conficiat, in Contractibus analphabetorum desiderat. Illi autem testes ut intercedant quatuor conjunctim Imperator in analphabetorum contractibus requirit. 1. Ut contractus fiat ab analphabeto. 2. ut contractus fiat in scriptis 3. in Civitate. 4. ut Summa auri libram superet. Primum requisitum quod spectat, notanter dicitur à literarum imperito; Si enim à literarum gnaro fiat contractus, aut celebretur sine scriptis, testes



testes & juramentum hîc intervenisse suffecerit *d. Nov. 73. &*  
 34. *inde desumpta Auth. sed novo jure.* Diceres verò, quot testes  
 hîc intervenire expetis? cum *Matth. Stephano in Comm. ad d.*  
*Nov. n. 32.* responsum habeto: Hîc jus antiquum manere sal-  
 vû & duos testes satis esse *L. 12. ff. de Test. aut etiam jurejurando*  
 partes inter se invicẽ transigere posse *L. Generaliter. C. de injur.*  
 35. Secundum requisitum est, ut ejusmodi contractus fiat in scri-  
 ptis, ne, ut infra monebimus, analphabeti decipiantur, aut  
 36. ab ipsis acta facilè negentur. In tertio requisito sancit anal-  
 phabetorum contractum quinque testium fide dignorum  
 subscriptionibus munitum, in Civitate celebrandum esse,  
 quippe illic facilis horum testium numerus haberi possit; se-  
 cus in agris, ubi multa simplicitas, & neque scribentium aut  
 37. testium multorum copia est. *d. Nov. c. 9.* ibi enim, *ut in fine*  
*d. Auth.* habetur, omnia, quæ ante hanc constitutionem va-  
 lebant, olim verò duo aut tres saltem testes in agrestium  
 contractibus requirebantur. *L. fin. C. si certum petatur.* etiam  
 38. firma ac rata esse debere. Ultimò tandem locò Imperator  
 hortatur, ut quinque illi testes in analphabetorum Contra-  
 ctibus adhibeantur, si summa Contractûs auri libram, hoc  
 est, 72. Solidos *Godofred. ad d. Nov. c. 9. Lit. b.* excedat; si enim  
 summa fuerit minor, tum duo testes sufficere possunt, sive  
 à literato sive ab analphabeto, sive in scriptis sive sine scri-  
 ptis, in civitate aut extra eandem sit contractum. *Vid. fuse*  
*Dn. Richt. ad sepius d. Auth. Conf. Zubrodt in Tract. de compa-*  
 39. *ratione literaarum cap. 2. n. 12. illic q<sup>2</sup> Dd. allegati.* Si hujus poste-  
 rioris constitutionis rationem tanquam Legum animam,  
*L. 17. ff. de LL. Card. Tuscb. Pract. Corcl. Lit. R. Concl 31. n. 15. in*  
*med.* investigare licet, ideo tot testes hîc intercedere appa-  
 ret, ne analphabetis, multis aliàs periculis subjectis, factum,  
 quod non intelligunt, obesse possit, neque analphabeti faci-  
 lè negandi ansam arripiant, minimè à se delegata esse, quæ  
 charta



charta loquitur, *Nov. 44. præfat.* & dicente Imperatore *d. Nov. c. 1.* ipsis facilis sit & inconvincibilis denegatio horum, quæ pro veritate secuta sunt. *Sichard. in prælect. ad d. Auth. & Christinaeus Vol. 3. Decis. 5. n. 8.*

Materiae utilitas jam suadet, ut nonnulla de moderna 40  
 consuetudine circa analphabetorum Contractus observan-  
 da, dicamus. Equidem abrogationem posterioris constitu-  
 tionis *Nov. sc. 73. c. 8. & 9.* urgere quis posset, cum ab Impe-  
 ratore præscripta moribus observari haud videamus; At ve-  
 rò cum Lex semper vivere præsumatur, & Legum abrogatio-  
 nem urgentes, eam probare teneantur. *Dn. Tabor de altero*  
*tanto. P. 2. art. 3. n. 6.* hanc constitutionem utique & in hunc  
 usque diem observari debere, haud negandum; licet ob non  
 adeo frequentem casus contingentiam aut seculi pravitatem  
 minus rectè negligatur. Concedimus tamen, si analphabe- 41  
 ti contrahere cupiant, Notarium, cujus testimonium duo-  
 rum testium! testimonio comparatur, *Cbil. König in sua pra-*  
*ctica c. 91. n. 3.* adire posse, qui præter duorum testium sub-  
 scriptionem, eorum Contractus confirmabit. *Peretz ad tit.*  
*C. si certum petat. n. ult.* vel requisitis *d. Nov. missis, Contra-* 42  
*ctus firmitatem, si instrumenta analphabetorum mandatu*  
*conscripta exhibeantur ac producantur, modò exinde de*  
*quantitate & causa debiti constet. L. certum est 6. ibique Dd. ff.*  
*d. R. C. per recognitionem probari posse. Conf. Richt. ad d.*  
*Auth. Sed nov. jure. C. si certum petat. n. ult.* Recognitio enim  
 cum vim confessionis habeat *L. 25. §. 5. ff. de probat.* Confes-  
 sio autem idem operetur, quod instrumentum publicum su-  
 per Contractibus confectum, *Rebuff. Tract. de chirographorum*  
*recognit. in præfat. n. 45. & 46.* Scriptura namque privata, sed  
 recognita, æquiparatur instrumento publico. *arg. L. 4. §. 1.*  
*C. de recept. arbitr. Vid. Zubrodt in d. t. & illic allegati Dd. cap. 2.*  
*§. 19. & cap. 6. §. 5.* etiam analphabetos ad testium subscri-  
 ptio-



ptionum recognitionem, aliis licet contrarium asserentibus, adstringi posse, statuimus. *Cardinal. Tusch. Pract. Lit. S. Conclus. 760. n. 9.* Quemadmodum enim ex observantia alienæ scripturæ recognitio ei injungi potest, contra quem produci-  
 43. tur, *Carpz. lib. 3. Tit. 8. Resp. 79.* quantò magis analphabetus ad eorum, quæ suo mandato ac commissione ab alio scripta, recognitionem obligatus erit, cum ipse fecisse censeatur, quæ per alium fecit. *L. 71. §. 5. ff. de acquir. hered. L. 6. §. 1. de precario. Conf. Rebuffus d. l. art. 1. §. 15. & dicente Aym. Cravetta in tract. de antiq. temp. Rubr. revocare consilium n. 77. § 78.* paria sint, apocham esse scriptam à tertio de voluntate par-  
 44. tium: Vel esse scriptam ab ipsis Partibus. Hinc & *Carpz. in Proc. tit. 14. art. 2. §. 9. n. 67.* asserit, se sæpius observasse analphetos in Saxonix Dicasteriis ad recognitionem Instrumentorum suo nomine confectorum devinctos & alligatos fuisse.

45. Hanc verò recognitionem non saltem ad subscriptionem testium, sed & sigilli appositionem extendimus. *Conf. Zubrodt in d. tract. cap. 12. §. 23.* quippe sigillum, ut infra demonstrabimus, sæpius vim subscriptionis habet. Hinc si analphabetus sigillum in vim subscriptionis apposuerit, illudque negare audeat, utique ad ejusdem recognitionem adstrictus erit, cum instrumentis saltem recognitis fidem faciamus. *Carpz. d. l. §. 1. § in Jurispr. forensi P. 1. C. 17. Df. 21.* illicque in præjudicio: *Ob gleich euer Mündlein vater weder schreiben noch lesen können; da aber dennoch die Verschreibung/ darauff Werner Gerhardt seine Mahnung angestellet/ mit einem Petschaffe / darauff sein Nahme geschnitten / gesiegelt: So werdet ihr solche Verschreibung zu recognosciren / und euer Vorwenden/ daß er dergleichen Petschaffe nicht gehabt/ noch gebraucht / vermittelst Endes zu erhalten / oder euer Mündlein wegen / die Zahlung zu thun sch. Idig/ von R. W.*  
*Conf.*



*Conf. Rebuffus d. l. n. 16.* Verumenimverò audio mihi ob 46  
 strepèntem adversarium : analphabetorum recognitionem  
 absurdum sapere, ut qui ipse literas pingere nesciant, alio-  
 rum manus recognoscere teneantur; cùm recognoscere  
 sit iterum atque iterum videre, relegere, penitusque cogno-  
 scere & intelligere. *L. 56. de V. S.* Respondemus, nullam hïc  
 subesse absurditatem, cùm saltem analphabeti in iudicio af-  
 ferere debeant, productam obligationem sua voluntate scri-  
 ptam esse, tum enim recognitio instar confessionis est, quam  
 condemnatio sequitur, *L. 56. ff. de Re jud. Conf. Carpz. in Proc.*  
*d. l.* nec ullum etiam analphabetum ejusmodi hebetis inge-  
 nii esse credo, qui in memoriam sibi revocare non posset,  
 quanta & qualis charta obligatoria ab aliis subscripta, anne  
 literæ longæ anne breves, an subtiles & puræ, an gallinarum  
 manibus, ut ait *Plautus in Pseudol. act. 1. Scena 1.* scriptæ fue-  
 rint, & anne character sigilli tempore obligationis appositus,  
 idem sit in recognitione? Quid? Quod nullus hïc dolus in-  
 tercedere possit, cùm moribus, duobus exemplaribus æqua-  
 libus, quorum unum obligans, alterum obligatus recipit, to-  
 tum negotium expediri videamus, quæ, si analphabeti sæ-  
 pius inspexerint, testium subscriptiones sibi notas reddere  
 posse, nemo ambigit. Hinc Uxor manum Mariti ad Judicis  
 jussum recognoscere tenetur, etiamsi scribere ipsa nesciat,  
 cùm nihilominus Mariti manus ei nota esse præsumatur, ut  
 habet *Pet. Rebuff. in Constit. Reg. Gall. P. 1. tit. c. hirograph. re-*  
*cogn. art. 1. n. 4. Bursat. Consil. 30. n. 23. Costa de Facti scientia*  
*& ignorantia inspect. 73. n. 5. Cavalcanus Decis. 27. n. 55. Quos*  
*citat Zubrodt in d. tract. cap. 11. n. 3.* Paucis, quia etiam hodie 47.  
 contractus nonnullos e. gr. venditionem vel permutatio-  
 nem immobilium coram Magistratu loci celebrari vel sal-  
 tem insinuari germ. gerichtlich verschreiben videamus, anal-  
 phabetum utique tali modo securum putamus. *Carol. Schar-*



48 *Schmid. de Jure Justiniano novo. Exerc. 13. §. 11.* Cùmque, ut superiùs dictum, in majorem obligationis fidem ac probationem Testes Contractibus adhibere soleamus, quærere possem, si & inter eos analphabeti essent, quomodo hïc recognitio instituenda? Sed ne præter instituti rationem prolixior sim, eaque satis fusè ab aliis tradita cernam, Benevolum Lectorem ad *Nic. de Passeribus de privata scriptura lib. 2. Tit. de Aposta manu tertij conscripta. n. 77. & sqq.* remitto. *Conf. Trentacinius 2 Variar. Resolut. 7. de fide instrum. n. 1.* Atque hæc de actibus inter vivos imprimis de analphabetorum Contractuum celebratione sufficere possunt.

49 Ante verò quàm huic nostro capiti extremam manum imponamus, quærere lubet, ane analphabetis manus ab aliis duci queat, quò nomina sua Contractibus subscribere possint? Datam quæstionem quod spectat, ad eò meliorem intellectum, casum, qui in terminis contigit, ponere lubet. Cajus ære alieno obrutus, ut emergeret, à Mevio petit mille thaleros, Creditor à Debitore exigit, ut in securitatem crediti Titia Caji Uxor juratò beneficiis renunciaret, seque ita pro Marito obligatam faciat. Titia quoad scripturam saltem, analphabetæ Curator constituitur, sicque inducta manu ab uno testium Contractum subscribit, quæritur, quid juris? Casum propositum si æqua lance nobiscum trutinamus, duæ hïc potissimùm quæstiones decidendæ, ane sc. talis obligatio subsistere possit, & ane falsum hïc perpetratum? Priorrem quod attinet, nos equidem non fugit, talismodi obligationes de jure communi invalidas esse, *Nov. 134. c. 8. & Auth. siqua mulier C. ad Sctum Vellej.* moribus tamen & consuetudine validas fieri posse, præsertim si juratò Scto Vellejano renunciatum, attestatur *Carpz. P. 2. C. 16. Df. 1.* Posterio rem quæstionem quod spectat, negamus, hïc falsum esse commissum, si scilicet doceri possit, Titiam in hanc obligationem  
con-



senfisse, ac beneficia de jure competentia ei demonstrata & declarata esse; sic enim omnis fraus dolusve exulabit, quippe de necessitate non fuisset, ut Titia eam obligationem manu inducta subscriberet, siquidem trium testium subscriptio (quos hic intercessisse accepi) instrumento publico, cui magna fides habetur, æquipollet. *L. Scripturas. ii. C. Qui pot. in pign.* Ut verò ad quæstionem primam revertamur, si dolus animus accedat, utique crimen falsi dicimus committi, utpote non saltem veritas hic immutatur, sed & obliganti nocumentum inde creatur. Verùm abrumpimus, & de Actibus inter vivos celebrandis hæc dicta sufficere posse, arbitramur.

CAPUT IV.

DE

Jure ἀναλφάβητων circa

Ultimas Voluntates.

SUMMARIA.

<b>M</b> emoria mortis commendata nobis esto.	cessaria est.	7.
Ultimarum voluntatum quot sint species?	1. Carpzovius in Responsis contrarium asserens, sibi ipsi contrarius est.	8.
Testamentum apud acta scripto comprehensum ab ipso testatore judici offerendum est.	2. Sententia limitatur in analphabeto, qui literas pingere tantum nescit.	9.
Idem etiam ore tenus fieri potest.	3. Sed quid si analphabetus simpliciter prælectionem in judicio fieri renuat?	10.
Analphabetus testamentum apud acta in scriptis conditurus Notarium adhibere debet.	4. Quid faciendum si prælectionem domi factam serio asseverat?	11.
Notarius tunc testatori testamentum in scripturam redactum in judicio prælegere tenetur.	5. Quanam sunt solennitates testamenti extrajudicialis scripti?	12.
Quæ prælectio etiam alio in casu necessaria est.	6. Testator non necessario tenetur voluntatem	



luntatem manu sua conscribere.	12.	frequentatur.	27.
Ad testamentam analphabeti scriptum octavus testis ad subscribendum adhibendus est.	13.	Testamentum nuncupativum analbetus rectè condit.	28.
Quò in casu non testatoris; sed testis nomen subscribendum est.	14.	Species quadam testamentorum minus solennium.	29.
Non est testator ad subscriptionem admittendus, qui literis tantum initialibus designare potest, cum limitatione.	15.	Pater analphabetus inter liberos coram duobus testibus specialiter non rogatis testari poterit.	30.
Sigillum analphabeti testamento appositum non est pro subscriptione habendum.	16.	Pro tali autem testamento non est habenda schedula in arce Patris analphabeti reperta.	31.
Quod ne quidem in testamento Patris inter liberos procedit.	17.	Nisi à liberis subscripta fuerit.	32.
Hujus sententiae limitatio.	18.	De rusticorum testamento agitur remissivè.	33.
Si testis analphabetus in analphabeti testamento adhibitus fuerit, alii subscribere debent, & quomodo hoc restringendum.	19.	Clausula Codicillaris medetur defectui testamentorum.	34.
Testis etiam testatoris annulo subscribere potest.	20.	An hac clausula testamento analphabeti voluntate per Notarium adjecta presumatur? cum rationibus dub. & decid.	35.
Cautius ne agit analphabetus si in scriptis velit testamentum suum confectum?	21.	Eadem si per imperitiam Notarii omissa fuerit, testatori analphabeto præjudicari nequit.	36.
Affirmatur.	22.	Heres analphabetus ad subscriptionem inventarii Notarium adhibere tenetur.	37.
Hinc queritur an analphabets sicut cæcus testari possit?	23.	An L. fin. §. 2. c. de Jure delib. sit abrogata?	38.
Negat questionem Cothmannus.	24.	In testamentis & contractibus Analphabetorum verba in sensu communissimo sunt accipienda.	39.
Sed eidem respondetur.	25.		
Testamentum scriptum hodie minus	26.		

1. **N**ihil certiùs morte, nihilq; incertius horâ ejus esse, præter experientiam Imperator in L. 68. in fin. ff. de Legat. 1. & l. 1. §. 2. ff. de condit. & demonstrat. demonstratum reddit. Cogita-



gitationes igitur Christianorum primariae mortis sunt, ut omnes circa ejusdem accessum prompti ac parati reperiantur. Cogitationes hasce in ultimis potissimum voluntatibus locum habere, ulla haud demonstratione indiget. Ut ergo & ego mortalium, cujus animus ita semper formatus est, tanquam ad extremum ventum esset *Seneca epist. 101.* eas cogitationes non flocci facerem, Imperatoris vestigia legens ad analphabetorum ultimas voluntates me converto, perspicuus quibus solennitatibus analphabeti eas celebrare queant ac debeant. Cum verò ultimarum voluntatum varia<sup>2.</sup> species observanda veniant, primò locò notabimus, ultimas voluntates quas testamenta vocamus vel solennes vel minus solennes esse; Harum naturam deducere extra nostrum institutum est, quippe auctores multorum voluminum de hac materie conscriptos habemus. Quapropter scitu saltem necessaria & ad scopum nostrum facientia delibabimus, ac initio statim testamentum judiciale sive apud acta conditum considerabimus. Testamentum actis insinuatam ut plenissimum robur habeat, testator ipse voluntatem scriptò<sup>3.</sup> comprehensam judici pro Tribunali sedenti insinuare & offerre debet. *Struv. in jurispr. Rom. Germ. For. Lib. 2. tit. 15. §. 9.* alioqui per cognatum aut aliam personam ejusmodi testamentum judici oblatum vitiosum erit. *Carpz. P. 3. C. 3. Def. 23. Mev. ad jus Lubec. P. 2. tit. 1. art. 2. n. 89.*

Cum autem scriptis fieri debeat, quæro quomodo analphabetus, si velit, tale testamentum condere possit? Re-<sup>4.</sup>spondemus scripturam hic simpliciter necessariam non esse; Sed etiam oretenus coram iudice & actuario in loco iudicii testatorem ultimam suam voluntatem exponere posse. *Carpz. lib. 6. Resp. 9.* quæ si scriptis aut oretenus proposita fuerit, ad acta reponi aut Protocollo inseri solet. *Struv. d. l.* adeoque & analphabeto oretenus voluntatem exponenti, hic



5. cautum putamus. Si autem in scriptis ejusmodi testamen-  
tum vellet conditum, ne voluntas ejus aliis innotesceret,  
quid tum faciendum? Svademus literarum callentem puta  
Notarium aut alium *auth. & non observato C. de testam.* as-  
sumendum esse qui analphabeti ultimam voluntatem in  
scripturam redigat *Christinaus Dec. 6. Vol. 4.* (Cum hodiè  
non amplius requiratur testatoris propria manu heredis de-  
nominatio, aut testamenti subscriptio, verùm hæc omnia  
per alium fieri & expediri queant *L. hac consultissima C. de te-  
stam. Nov. 119. cap. 9. Conf. Ernestus Cothmannus Resp. 23. n. 5.  
Vol. 4. & Job. Philippi in usu Practico Instit. Lib. 2. Eclog. 45. n.*
6. 5. & 6.) & in scripturam redactam in judicio testatori prælegat,  
ne scribere jussus aliam subornet voluntatem, aut etiam  
contra testatoris mentem sibi nonnulla adscribat *Besold.  
Conf. 203. cum illic citat. Dd. ubi n. 13. ex Dautb. de testamentis.*
7. *fol. 310. n. 404.* notat: Prælectionem quoque necessariam,  
esse, si testator ægrotus Notario & testibus præsentibus suam  
voluntatem dictasset. Licèt enim relectio ad testamenti  
judicialis subsistentiam nihil faciat; sed absque relectione  
firmum esse queat *L. 18. 23. C. de Testam. Conf. Carpz. P. 3. C. 3.  
Def. 28.* quod etiam Doctores adeò extendunt, licèt testator  
analphabetus esset quoad scripturam saltem, cum ita testa-  
mentum antea relegisse præsumatur. Aliud esset si anal-  
phabetus quoad literarum picturam h. e. si scripta legere  
non valens, Judici testamentum offerret, prælectionem hic
8. judex neutiquam intermittere poterit. Hinc *Carpzovium,*  
quod cum venia hujus celeberrimi Viri dico, arguendum  
habeo, dum *Lib. 6. Resp. 9. n. 16.* ait, testamenti relectionem  
analphabeti in judicio necessariam non esse, modò judicij  
exposuerit, schedulam oblatam ultimum suum elogium  
continere. Quomodo enim judex certus esse potest de  
talis testatoris voluntate? Certè scriptura quæ alterius  
est,



est, id probatum non reddet, cum eam testator relegere haud valuerit, nec loquela testatoris, quæ alterius fide nititur; quippe cum testamentum excipiens, aliter scribere aliter scriptum testatori prælegere potuerit. *Carpz. P. 2. Decis. 149.* ubi hanc nostram sententiam approbat & tale testamentum sine relectione non subsistere posse probat. *Conf. Disputat. Dn. Præsidis de Testamentis Rusticorum cap. 4. n. 6. 7. & sqq.* Si autem testator analphabetus esset, quoad literarum picturam saltem, pictas tamen legere valeret, prælectionem necessariam non esse concedimus; cum neminem fore credamus, qui alterius scripturam, non lectam, non visam, pro ultima suâ voluntate agnosceret. *Carpz. d. Decis. n. 8.* ubi allegatum *responsum 9.* conciliare studet, at conciliatio dicti Responsi & Decisionis vix sine correctione locum habebit.

Jam alia quæstio decidenda erit, si Testator literarum penitus ignarus, nollet à judice sibi iterum testamentum ab alio scriptum, ne voluntas ipsius ultima aliis ante obitum innotesceret, prælegi, quid tum faciendum? Consilium suppeditavit *Dn. Præsides in Collegio privatim habito ad Struvii Jurispr. Rom. Germ. For. lib. 2. tit. 15. §. 9.* Coram Notario & duobus testibus ipsi privatim prælegendum esse testamentum, & ab his subscribendum, quod se præsentibus testamentum testatori fuerit prælectum. Sed quid si testator in judicio seriò assereret, sibi testamentum Domi fuisse prælectum? respondemus judicem huic nudæ testatoris assertioni fidem adhibere non posse, multa enim dicuntur, quæ vera non sunt, nisi duos ad minimum testes testator produxerit, qui prælectionem juratò asseverarent.

Atque hæc de testamento judiciali aut Principi oblato. Extra judicium vel scripto vel sine scripto testamenta condere solemus. Si scripto voluntatem exponere placet, præter aliàs solennitates, quas intermittere non licet, certæ  
ali-



aliquæ requiruntur. Ita testator voluntatem suam conscribere, eandem coram septem testibus exponere, testibus subscribendam & subsignandam tradere debet. De singulis circa analphabetorum testamenta ordine agere animus est.

13. Diximus Testatorem ipsum suâ manu voluntatem ultimam conscribere debere, quâ igitur ratione analphabetus scripto testari poterit? Superius jam tum monuimus de necessitate non esse, ut testator ipse eandem conscribat, sed per alium literarum peritum vel Notarium hoc expediri posse, cum ipse fecisse censeatur quæ per alium faciat *L. 5. C. de Acusat. § cap. 72. de R. J. in 6to. Conf. Nic. de Passeribus de privata Scriptura lib. 1. §. 109. § 110. Cardinal. Tuscb. Pract. Conclus. 760. n. 8. Lit. S.* adeoque secundum hanc observationem analphabetus ab alio scriptam suam voluntatem in septem testium præsentia tutò exprimere ac enarrare poterit.

14. Cum verò inter alias solennitates testatoris subscriptio requiratur, quæro quomodo analphabetus eam facere debeat? Equidem per *Nov. Leonis. 43.* subscriptionis necessitatem remotam & per scribendi ignaros testamentum confirmari posse, certum, at cum singularis auctoritas iis novellis tribui nequeat, videbimus quid in jure nostrò Justinianeò hoc in casu statutum, obtineat. Dicit Imperator in *L. 21. § 28. §. 1. C. de testamentis*, si literas testator ignoret vel subscribere nequeat octavum subscriptorem vicem testatoris literarum ignari repræsentantem, adhibendum esse. *Conf. Ordin. von Unterricht der Notarien de Anno 1512. §. Nun die Form vers. V. Vor den Zeugen allen mit eigener Hand unterschreibe / oder wo er nicht schreiben könnte / oder alsdann nicht möchte / durch eines andern achtenden Gezeugen Hand / in seinen Nahmen und auff sein Begehren an einen Ort unterschreiben lasse. Ut § die Brandenburgische Rolle in Sippschafften verba ejusdem sunt: Zum andern daß sich die Zeugen alle*



alle sieben auff des so das Testamentum ordenet / oder wo der  
 nicht schreiben kan / der achte Zeuge an seiner Statt / mit ih-  
 ren Lauff- und Zunahmen unterschreiben. Textus illi cum  
 satis clari sint, nihil præter quæstionem addo, an testatoris, 15.  
 an verò adhibiti octavi testis nomen testamento subscribi  
 debeat? Respondeo testem nomen suum proprium, neuti-  
 quam Testatoris, ad ejusdem mandatum se referendo, sub-  
 scribere debere *d. l. 21. C. de Testament. & dict. Ordinat. it. d.*  
*Brandenburg. Tabula in Sipshafften*, quò testis ille adhibi-  
 bitus octavus testari possit de facto suo, quod sc. ipse Testa-  
 mentum analphabeti oculis suis conspexerit, & cum Testa-  
 tor subscribere non potuerit, ipse in majorem securitatem,  
 nomen suum subscribere voluerit *vid. B. Dn. Brunnem. in re-*  
*petit. Paratitl. Wesenb. de Testamentis quæst. 11. ubi Carpzo-*  
*vius Decis. 147. n. 13. & 14. allegat. Conf. Johannes Philippi in*  
*usu practico Institut. Lib. 2. Eclog. 45. n. 3.* Cum etiam ex- 16.  
 perientia ut certissima rerum Magistra nos edoceat, mul-  
 tos, qui ætate juvenili literarum picturam contempsere,  
 adventante ætate nomina sua, literis initialibus scribere,  
 didicisse, quærendum erit, quid de iis sentiendum, & an-  
 ne nomina tali modò subscribi queant? Tales si nobiscum  
 ponderamus, pro non scribentibus reputamus. Scribere  
 enim non notas pingere significat; sed per literarum conse-  
 quentiam *Auth. quod sine subscriptione C. de Testam. & Nov.*  
*107. cap. 1.* Sensa sua quisq; scribentium exprimere debet, quò  
 legi possit, quod scribens indicare voluit. *Conf. disput. nostra*  
*cap. 1.* Sanè si eos pro scribentibus & subscribentibus æsti-  
 maremus, qui primis saltem literis scribere & nomina sua  
 subscribere norunt, quot quæso deceptiones quotidie fre-  
 quentes videremus? quomodo astutas machinationes ob se-  
 culi malitiam evitare possemus, in primis cum circa unig atq;  
 alterius literulæ imitationem faciles simus. *vid. Zubrodt in sa-*  
 pius



- pius dicto Tract. cap. 8. §. 1. ubi §. seq. exempla admiratione digna alienas manus imitantium recenset. Quapropter minimè talismodi subscriptiones approbamus, nisi eas in duorum aut trium testium præsentia appositas fuisse constet. Atque hæc de subscriptione Testatoris, circa quam ultimo loco quærimus, si analphabetus subscriptionis locò sigillum apponat, anne testamentum subsistere possit? Certum quidem est, sigillum vim subscriptionis habere *Aym. Cravetta in tract. de antiq. temp. Rubr. revocare Consilium. n. 44.* idemque valere quod subscriptio. *Jacob. Menoch. de arbitr. jud. question. lib. 2. Cent. 2. cas. 113. n. 10.* Nobis tamen in materia testamentaria hoc generaliter asserere non licet; cùm Leges aut testatoris aut alius testatoris jussu scribentis subscriptionem pro forma requirant: Jam verò regulæ instar apud Doctores est: *Ubicunque subscriptio pro forma requiritur, ibi sola sigilli appositio non sufficiens est.* *Hartman. Pistoris. Observat. 130. n. 5 & 6. Carpzovius P. 3. C. 4. Def. 18. n. 7.*
17. ubi insimul addit: Testatoris testamentum inter liberos absque subscriptione, sigillum tamen Paternum habens, non valere. *Conf. Nic. de Passeribus de privata scriptura lib. 6. n. 109. & 110.* quod admitto, nisi Testamentum fuerit Holographum. Perperam igitur non fecero, si quæstionem datam ob adductam rationem negavero *L. 22. §. 4. ff. qui testam. fac. poss.*
18. Ne tamen ultra modum hoc extendere videar, limitationem adjicio, nisi de voluntate sigillum apponentis constet. Ita si analphabetus coram duobus ad minimum testibus aut etiam liberis si sc. sit testamentum inter liberos, sigillum testamento suo apprimat, modò testamentum antea vel ipse vel per alium sibi prælegi curaverit, utique sigilli appositio subscriptionis loco esse poterit; cùm voluntatis constantia per testes aut liberorum confessionem probari queat. *vid. Matth. Weserbecius Consil. 9. n. 5.* Diximus superius inter testa-
19. sta-



stamenti solennitates etiam testium subscriptionem & sub-  
 signationem necessariam esse, ut igitur & de his agamus, ma-  
 teriæ utilitas desiderabit. Quærere autem placet, si testis in  
 analphabeti testamēto adhibitus, analphabetus esset, quid fa-  
 ciendum? Dicit Imperat. *in L. ult. C. de Testament. ab aliis litera-*  
*rum peritis, nomine analphabetorum subscribi testamentum*  
*posse, modò testes illiterati antea testatoris voluntatem, ma-*  
*ximè quos heredes sibi relinquere velit, quo eandem volun-*  
*tatem post mortem testatoris juratò deponere possint, co-*  
*gnoverint. Carpz. P. 3. C. 3. Def. 1. & 9. De subsignatione, cum hu-* 21.  
*jus scientia cuius ferè nota, nihil dicere habeo, addens, eam*  
*alieno annulo fieri posse. §. 5. Instit. de Testamentis, Imò etiam*  
*Testatoris, modò in subscriptione hujus mentio fiat. L. Ad*  
*Testium 22. ff. Qui testam. fac. poss.*

Egimus hæcenus de testamento solenni sive in scriptis 22.  
 conficiendo, & demonstratum fecimus, etiam analphabe-  
 tum tali modo voluntatem suam conficere posse. Hæc quo-  
 modo aliàs conficiatur, neminem latere puto, clausa sc. vel  
 propria vel alterius manu scripta testibus offertur, & in eo-  
 rum præsentia testator declarat, hoc suum esse testamen-  
 tum *Carpz. P. 3. C. 3. Def. 2.* Verùm cum seculi perveritates  
 sint innumerabiles, & malevola hominum cohors de die in  
 diem majores excogitet, dicerem analphabetum consultius  
 agere, si tale testamentum non conderet, quippe hîc cæteris 23.  
 testibus ignaris uni Tabulario vel subscriptori fraudibus  
 quandoque pleno, omnium bonorum hereditatem & ab-  
 alienationem committeret. *Godofred. ad L. hac consultissima 21.*  
*C. de testam. lit. I.* Et proinde necesse esse, ut aliâ & validiori ra-  
 tione testetur. Validiorem verò modum non video, quàm ut  
 analphabetus secundum præscripta *L. Hac consultissima 8. Qui*  
*testam. fac. poss. vel non poss.* testamentum suum confectum vel-  
 let. Quæro igitur an analphabetus sicut cæcus testari possit? 24.



Cæcus quomodo voluntatem suam confirmare debeat *in d. l.* dispositum est, sc. præter octo testes Tabularium assumere, & quod hic speciale, voluntatem palam testibus significare debet. Equidem *Ernestus Cothmannus Resp. 23. n. 14. Vol. 4.* quæstionem negat ex ratione; cum Lege non disponente, nec nostrum sit de hoc disponere. *L. ad probationem C. de probat. Nov. 18. c. 5. in pr.* At verò quod pace hujus Viri dixerim, dispositionem quidem expressam circa analphabetorum testamenta in hoc passu non conspicio, video tamen analphabetum octavum testem, quod ferè idem ut in Cæci testamento, assumere debere *L. 21. C. de testam.* adeoq; licet non per expressam dispositionem; per rationis tamen identitatem analphabetum, sicut cæcus, supremam suam voluntatem conficere posse, nullus dubito, cum hoc intuitu, quod sc. nec legere nec scribere possit, pro Cæco habeatur & parili facilitate ut cæcus falli queat. *conf. præter Godofredum d. l. Carpz. P. 2. Decis. 149. n. ult.*

27. Demonstravimus hætenus testamenti in scriptis conficiendi solennitates, cum verò ejusmodi testamentum minus frequentari soleat *per Recess. Imp. Coloniaens. de Anno 1512. tit. Von Testamenten. §. Nun die Form eines Testaments in Schrifften / welches nunmehr nicht in grosser Übung ist;* propter varias nempe ac multiplices solennitates, quibus præcisè non adhibitis, ipsum testamentum vitiatur. *Carpz. P. 3. C. 3. Df. 1. §. 2.* sed testamenta plerumque Nuncupativa esse soleant, nulla dubitandi ansa nobis dabitur, quin & analphabeti sic testari possint, & quidem eò magis, cum testamenta nuncupativa nullam scripturam, quâ analphabeti destituuntur, nullamque subscriptionem aut sigillationem requirant; sed in sola nuncupatione consistant. *Carpz. P. 3. C. 3. Df. 34. n. ult. & Df. 35.* Equidem negare non possum, testamentum nuncupativum ad futuram rei memoriam, sæpissimè

mè



mè à Notariis in scripturam redigi, non tamen inde substantia ejus, quæ scripturam haud requirit, mutari potest; sed subsistit, etiamsi testamentum nuncupativum nec Testatori prælectum, nec ab ipso subscriptum fuerit. *Vid. præter Carpzov. d. Df. 35. Richt. Dec. 32. §. 1. 3. 11. 12.*

Hæc de Testamentis solennibus: Quia autem solennitates in nonnullis testamentis remissas videmus, ut in testamento Patris inter Liberos, in testamentis Rusticorum, eorum quoque subsistentiam circa Analphabetorum jura considerabimus. Prius subsistere asserimus, etiamsi Pater inter filios testaturus voluntatem suam, si analphabetus fuerit, per alium conscribi non curaverit; sed duos saltem testes etiam specialiter non rogatos *Carpz. P. 3. C. 4. Df. 15. n. 4.* adhibuerit, iisque voluntatem suam exposuerit ac declaraverit. *Dn. Struv. in Jurispr. Rom. Germ. Forensi lib. 2. tit. 16. n. 7.* Siquidem in hujusmodi testamento omnis juris civilis solennitas remissa, & omnia ad juris gentium terminos redacta, secundum quod duo saltem testes sufficere possunt. *Richt. Dec. 29. n. 18.* Quæro autem circa hoc Testamentum Parentum inter Liberos, si in arca Patris analphabeti schedula divisionem Bonorum inter filios continens, reperiat, anne schedula illa valorem habere possit? Paucis quæstionem negamus, quia hoc modo fraudibus aperta via ostenditur. *Cardin Tuschus Concl. 101. n. 4. 3. Lit. T.* Si autem Pater analphabetus eam divisionem ab ipsis Liberis subscribi curasset, non dubito eandem, non ut testamentum ex dispositione *Auth. Quod sine C. de testam.* sed ut contractum ex conventionem Liberorum subsistere. *Vid. Nic. de Passeribus in sapius dicto Tract. de scriptura privata lib. 6. n. 258. & sqq.* Hinc firmissimum testandi modum etiam in solennibus testamentis dicunt *Dd.* si testator præsentem vocet heredem, & cautelam addunt: Ut scriptum testamentum heredi prælegat, testamentoque adscribat:



Und hätte er seinen letzten Willen seinen Erben vorgelesen / mit welchen sie auch zu frieden gewesen. Heres enim eatenus tacendo vel acceptando, per modum pacti se obligatum reddit, quia contradicere potuisset. *arg. l. fin. C. de fideicom.*

33. De Rusticorum testamentis nihil dicere habeo, quippe eam materiam fusè in *Disput. sub Dn. Praside habita de testamentis Rusticorum* traditam conspicio, ad quam etiam Benevolum Lectorem remissum volo.

34. Hoc circa Testamenta adhuc monendum; humanam infirmitatem quandoque non sinere omnes solennitates in testamentorum confectione observari; sed quandoque circa heredis institutionem, aut etiam circa ipsas solennitates nonnulla negligi. Ut verò ultima hominum elogia, postquam jam aliud velle non possunt, *L. 1. C. de SS. Ecclesiis*, exitum habere queant, quem Imperator diligenter cuivis judicum inculcat. *L. 5. ff. Quemadm. testam. aperiant*: Clausula Codicillaris, tanquam salutaris & adinstar emplastri, omnia vitia sanantis, testamentis apponi solet, quâ cavetur, ut, si testamentum valere non possit, ut testamentum, retineat tamen vim codicillorum vel fideicommissorum, & ita ab intestato heredes venientes sua parte detracta testatoris voluntatem impleant. *Vid. Vitalis de Cambanis in Tract. de Clausulis pag. 7. argum. 4. & Celso Hugon. de clausulis, qui simul editi extant p. 522.*

35. Quæro igitur, si analphabetus Notarium ad se vocari, sibi que testamentum conscribere rogasset, ane hujus etiam voluntate dicta clausula præsumatur adjecta, & ane effectum habere possit? Vulgatum quidem est: Ignoti nulla cupido, adeoque nec testatoris analphabeti voluntate clausula Codicillaris adjecta præsumitur, hinc & *Fab. Turret. de effect. & defect. Claus. Codicill. Quæst. 9. n. 3. cum allegatis ibidem Dd.* libere asserit, eandem, cum testator ob ignorantiam hujus clausulæ effectum non intelligat, nihil operari; sed pro non ad-

jecta



jecta haberi. Verùm liceat nobis ab his recedere, quibus contraria utpote æquior & convenientior sententia arridet; Dicimus enim, clausulam codicillarem consensu & voluntate analphabeti testamento adjectam præsumi, & quidem ex sequentibus rationibus: Analphabetus enim Notarium ad se vocans, ut sibi faciat testamentum, ita eundem rogasse censetur, ut legitimè sibi conderet testamentum, quo omni meliori modo valere posset; jam verò commodior subsistendi modus non datur, quàm per clausulam codicillarem, igitur & hanc addi voluisse videtur; Volens enim finem, videtur etiam voluisse media ad illum finem ducentia. *arg. l. 2. ff. de Jurisd.* Testator etiam dum rogat Notarium sibi scribi testamentum, insimul rogasse videtur, ut ponat in testamento clausulas ex communi usu testantium & scribentium testamentis adhiberi solitas; Imò omnia scripta censentur de voluntate ejus, qui Notarium rogavit. *Carpz. lib. 6. Resp. 7. per totum. Conf. Dn. Prasidis Disputatio de clausula codicillari asserto 9. § 16. It. Disputat. de testam. Rusticor. cap. 3. n. 54. § sqq. ut § Jurisprudentia nostra Lumen Brunnemannus in Consiliis nuperrimè editis Consil. 34. n. 5. ubi n. 7. ait: Clausula Codicillaris voluntate Testatoris adjecta præsumitur, etiamsi in margine & fortè alio atramento scripta reperiatur. Quæ<sup>36</sup> cum ita sint, quæro, si Notarius adhibitus adeo imperitus esset, ut dictam clausulam codicillarem omitteret, aut testamentum ita conderet, ut post testatoris mortem non valeret, an illa imperitia Testatoris voluntati officere posset? Respondemus: Si alias voluntatis constantia doceri queat, aut de ejusdem mente constet, minimè Notariorum imperitiam Testatoribus nocivam esse posse. *L. qui habebat 54. ff. de manumiss. testam. § errore 7. § L. ambiguitates 24. C. de Testamentis. Conf. Tib. Decianus Vol. 3. Responso 44. n. 3. Anton. Cephalinus lib. 4. § 5. Consil. 409. n. 35. § Franciscus Mantica de Conjecturis ultim. Volunt. lib. 7. tit. 3. n. 7.**

Per-



Pergimus dicentes, in testamentis præter hereditatem etiam legata sive donationes ab herede præstandas relinquere solere, eas verò in Legatarios transferri non posse, nisi heres hereditatem adierit, certum est. Verum enimvero cum sæpius faburra æris alieni in hereditate latere soleat, Imperator Justinianus in *L. fin. C. de jure deliberandi* beneficium inventarii, ne ultra vires heredes teneantur, indulgit. Beneficium illud quantum secum trahat utilitatis, *Dd. in tit. ff. & C. de jure deliberandi* demonstratum reddere solent. Nostrum erit circa nostram materiam quærere, cum hæres inventarium subscribere debeat, si analphabetus sit, quomodo eam subscriptionem supplere possit? Dicit *L. fin. §. 2. v. Quod si ignarus C. d. t. analphabetum* ultra Notarium assumptum ad scribendum inventarium, debere adhuc alium adhibere, qui pro eo literas supponat. *Richt. Decis. 59. §. 20. Schneidw. Instit. de Qualitat. & Differentia hered. §. fin. n. 12. & Cardinal. Tusch. pract. Conclus. 349. n. 89. Lit. I.* Quia verò Doctores circa Legum abrogationes faciles esse solent, & hujus Legis abrogationem fortassis nonnulli urgere possent, uti eos recensitos vides in *d. Richteri Decis.* Nos tamen contrarium asserentes, legem semper vivere dicimus, donec contrarium probatum fuerit. Hinc si moribus aliud receptum, & nos amabamus manibus eam sententiam amplecti non dedignabimur. *Conf. Richt. d. l. §. 21. & Scaccia de sentent. & rejudicata Gloss. 16. n. 17.* ubi inter alia notabilia monet: Heredis subscriptionem non esse necessariam, si inventarium apud acta factum fuerit. Quamvis Justinianus in *Nov. 1. c. 2.* velit, ut tamen signum crucis ab herede ad minimum inventario supponatur. Colophonis locò dicendi ansa nobis suppeditari posset de verborum ab Analphabetis prolatorum vera interpretatione, pauca in medium proferre: Nempe si testator literarum imperitus aut quilibet illiteratus verba obscu-



obscura in testamentis aut etiam Contractibus posuisset, plañò modò ea intelligenda esse, cùm non sit verisimile, testatorem aliud voluisse, quàm ut tenor verborum merè sonat. *Ant. Monachus Decis. 13. n. 14. & 14. Conf. Decis 42. n. 27. & 28. It. Stephanus de Phedericis de interpretatione juris pag. 62.* Verùm ne ultra modum nos detineamus, & huic capiti imponimus colophonem.

CAPUT V.

DE

Jure αναλφαβήτων circa

Judicialia observando,

SUMMARIA.

Connexionis ratio.	1.	Neg, regulariter ad procurationem	
Quid sit Judicium?	2.	judicalem admittendus erit.	13.
Quotnam Personæ idem consti-		Per alios idoneos mandato instructos	
tuant?	3.	litigare permissum est.	14.
An Analphabetus Judex esse pos-		Qua ratione analphabetus Procu-	
sit?	4.	ratores instruere mandato de-	
Circa Quest. dist. inter analphabe-		beat.	15.
tos.	5.	Ad mandatum sola subsignatio sine	
Sub distinctione proposita assertio le-		subscriptione non sufficit.	16.
gibus stabilitur.	6.	Id quod præjudicio quodam confir-	
Ad Rat. Dub. respondetur.	7.	matur.	17.
Sententia non absolutè necessariò in		Positionum utilitas.	18.
scripto concipienda est.	8.	An analphabetus ad positiones non	
Judex etiam per alium sententiam		nisi præsentè Advocato vel Pro-	
recitare potest.	9.	curatore suo respondere tenea-	
In causis tamen Criminalibus anal-		tur?	19.
phabetus hand idoneus Judex est.	10.	De Lit. Contestatione agitur remis-	
Analphabetis litigantibus per Ad-		sivè.	20.
vocatos consultitur.	11.	Analphabetus rectè producitur te-	
Ipsè verò analphabetus Advocatus		stis.	21.
esse nequit.	12.	H	An





An post publicatas attestaciones | Tractationis de analphabetis conclu-  
 analphabeto novos testes produ- | sio. 23.  
 cere liceat? 22.

1. **U**Lpiani monito quod habetur *L. 1. pr. ff. de Pactis* satisfacere si vellem, analphabetorum jura circa actiones occurrentia in hoc capite deducere materiae ordo efflagitaret; At verò cum analphabetorum jura circa actiones parum imò nihil notatu digni suppeditent, actionum loco judicialia, sive in judiciis occurrentia, tractabimus, visuri quomodo analphabeta circa ea considerari queant ac debeant. Judicium quid sit in vulgus notum est, sc. legitima rei controversæ apud Judicem disceptatio *B. Dn. Brunnem. in Proc. Civili cap. 1. n. 1.*
2. Personæ judicium constituentes sunt vel judices vel litigantes. Judices omnes esse posse qui non prohibentur, ex Doctoribus notum. *Brunnem. d. l. n. 57.* Hinc quærendi ansam nanciscor, anne ἀναλφάβητος Judicis partes in se suscipere, litesque inter litigantes dirimere possit? Sanè si pressius Jura introsipientibus nostram sententiam nobis exprimere concessum, datam quæstionem negamus. Etenim jam tum Legibus salubriter cautum, ut Judex aliter judicare non debeat quàm LL. scriptis & moribus constitutum est §. 1. *Instit. de Off. Jud. & Auth. jubemus C. de Judic.* quomodo igitur huic judicandi regulæ se conformem præbere poterit, qui ἀναλφάβητος & primorum elementorum rudis est. Unde *Tbolosanus lib. 4. de Repub. c. 8. n. 10.* jam tum de hoc perverso more, quod scilicet Analphabeti judicantium vices in se suscipere soleant, conquestus, dicit: Malum hoc frequens est plerisque in locis, ut Judices analphabeti, rustici ex arbitrio judicantes, computationibus litigantium patrimonia devorantes, confusè omnia sine lege, sine certa consuetudine, sine ordine & stylo, aut ulla scriptura transigentes, mutantes, alterantes, sordidantes ad judicandum admittantur. *vid. Pauli Fel-*



li Felwingeri Judex §. 50. circa fin. quem Roggerij Foro protestationum B. L. adjectum cernet. Quid? quòd cum Judex sententiam conceptam ex periculo, seu ut alii malunt, ex breviculo Godofred. ad Rubricam C. de sentent. ex periculo recitand. & Sigism. Scaccia de sentent. & re judic. Gloss. 12. n. fin. (Quàmvis hoc vocabulum in Corpore Juris repertum penitus non rejiciamus, cum & in Cornelij Nepot. vita Epaminondæ cap. 8. reperitur) recitare debeat, scriptura hîc de natura pronuntiatio- nis, quam nemo Judicum intermittere potest. Vital. de Cambanis in Tract. de clausulis p. 158. n. 13. Conf. Cardinal. Tuscb. Pract. Conclus. 131. n. 3. Lit. S. necessaria videtur. Unde Dd illam ipsam sententiam adeo extendunt, ut sententiam invalidam, imò ipso jure nullam dicant, si non in scriptis lata fuerit, Scaccia d. l. n. 4. & sqq. adeoque secundum nonnullorum opiniones eam exinde conclusionem formari posse Doctores arbitrantur: Analphabetus Judicis partes in se suscipere nequit. Atverò cum superius in cap. 2. analphabetorum distinctionem fecerimus, eandem si hac vice repetierimus, non dubitamus, judicantium partes analphetos in se suscipere, litesque inter partes litigantes agitatae dirimere posse, imprimis cum inter eos, qui Judices dari prohibentur, nusquam analphetos referri videamus; imò sapius cernere liceat, analphetos rerum scientissimos, uti & in d. cap. talia exempla in medium produximus, inveniri, qui sapius literatis & Juris peritissimis palmam præripiunt. Conf. Sigism. Scaccia d. l. cap. 1. Gloss. 3. quest. 2. n. 23. Certum enim est, in jure dicendo Judicem ante omnia jus Statutarium, & si hoc non adsit, Jus Provinciale attendere debere. Si igitur analphabetus horum jurium peritiam habeat, eundem ad judicandi munus admitti posse, facilè concederem, cum aliàs Imperator in Judice non literarum Scientiam; sed rerum Peritiam desideret, unde Angelus Aretinus ad §. Similiter 8. Inst.





*de Excusat. Tut.* notat: Nobiles & alios negotiorum ac rerum peritos, licet literarum sint ignari, Rectores tamen terrarum esse, & officiorum administrationem habere posse, de quo *Bal. & Paul. de Castris in L. certi juris C. de judiciis Conf. Schneidw. ad d. §. Similiter. & Herm Vultjus in discept. Scholast. cap. 8. circa fin.* Et ne sine lege loqui videar, cum J Ctus sine ea loqui erubescat, *Nov. 18. c. 5.* hanc assertionem (1) probatam facio per *L. 17. C. de judiciis.* ubi Militibus judicandi facultas conceditur ex addita ratione: Quia nihil obstaculi subesse potest, homines, qui alicujus rei peritiam habent, de ea re judicare. *Vid. B. Dn. Brunnem. ad d. L. ubi per Dd. sententias, analphabetos, modò rerum & consuetudinum periti & prudentes reperiantur, judices esse posse, confirmat. (2) per L. expertes Literarum C. de Decurionibus.* ubi expressis verbis asseritur, literarum expertes Decurionum munera peragere posse, & (3) per Canonistas *in cap. Sciscitatus X. de Rescriptis, ibique Dec. n. 55. latè. Menoch. Consil. 100. n. 244. & 256.* uti eos

7. allegat *Dn. Cassp. Klock. Consil. 101. n. 256. Vol 3.* Dubitationibus autem motis obviam euntes, respondemus: Textus adductos non obstare, cum nostram sententiam eà temperie adduxerimus; Analphabetum judicem esse posse, modò rerum & consuetudinum peritiam habeat; adeoque & sic prout moribus constitutum, judicare poterit. Sententiæ ex breviculo recitatio aliquid molestiæ parit, cum, ut superius dictum, ipsò jure sententiam esse nullam constet, si non in scriptis lata fuerit. Verum & huic dubio satisfaciennes respondemus, sententiæ scripturam locum non invenire, in litibus brevibus & vilium personarum, nam in iis etiam sine scriptis judex judicare potest *Auth. Nisi breves C. de sentent. ex peric. recitand. & ibi Cyn. n. 1. Gail. Lib. 1. obs. 134. n. 10.* & sic analphabetos, quibus aliàs causæ magni momenti committi non solent, à judicio non excludi posse, putamus; licet



cēt negari nequeat, analphabetum si perfectissimi sit judicii, consuetudinūque jura benè calleat, etiam in causis gravibus dijudicandis per alium fortè Notarium aut assessorem sententiam scribere & legere posse. *Scaccia d. l. Gloss. 12. n. 36. § 40. Conf. cap. fin. X. de Sent. § re judicata in 6. § est gloss. in L. fin. C. de sent. ex peric. recitand. in verbo proferant in fin. Add. Job. Faber ad §. similiter 8. Instit. de Excusat. Tut. Quid? dicerem 8.* sententiæ scripturam ad justitiæ administrationis necessitatem nihil conferre; sed eam per consuetudinem rejici posse *Vid. Sigism. Scaccia d. l. n. 30. ubi & loca consuetudinem eam observantia commemorat. Conf. Felinus in cap. sciscitatus X de Rescript. vs. illiteratus n. 99. Col. 542.* Ad sententiæ recitationem sive lectionem quod spectat, quam itidem rubrica sæpius dicta à judice requirit, liberè asserimus, eandem per alium ex breviculo sive parva schedula recitari posse. *Scaccia d. l. cap. 1. Gloss. 3. quest. 2. n. 19. circa fin. ubi dicit: Judex sive sciat legere sive non, potest facere legi sententiam ab alio, & potest ipse proferre solum verbum absolvo vel condemnno. Conf. Ejusdem gloss. 12. n. 36. circa fin. & Guilbelm. Durandus in Speculo Lib. 2. Particula 3. de Sententia, sub Rubricâ. Sententia à quo ferenda. n. 1.* Sed ne itidem absque ratione hæc à nobis dicta videantur, ex sæpius dicto Scaccia nonnullam adduxisse suffecerit: Namque sententiæ lectionem nobiscum ruminantes, nullum sanè effectum ex eo cernimus, quod judex sententiam legerit per se ipsum vel per alium; Unde modernum judicantium stylum, solennitatem hanc legendi sententias per seipso, tanquam inutilem optimò jure antiquare posse, rectè testatur *Sigism. Scaccia d. l. n. 31. Conf. n. 34. ubi & aliam non exigui ponderis rationem adducit. Conf. Zoef. ad ff. de re judicata. n. 6. ubi asserit hodiè plerumque per actuarios sententias recitari. Vid. de judice analphabeto in specie Bartbol. Rodericus in manuali judic. cap. 7. n. 15. citatus.*



à *Ruth. Rulant. de Commissariis & Commissionibus P. 1. Lib. 1. 10. c. 13. n. 4.* Hæc de judice analphabeto in negotiis civilibus.

Quæro jam an analphabetus in causis criminalibus ad judicis officium admitti debeat? Respondemus negando: Hic enim, quia agitur de vita hominis sive pœna mortis, adeoque causa magni præjudicii, neutiquam analphabetus; Sed juris peritus qui in hoc studio publicos honores acquisivit admitti debet. *Scaccia cap. 1. Gios. 3. qu. 2. n. 26.* Quod & ipse *Carolus V. in Constitut. publicorum judiciorum art. 1.* jam tunc inculcare voluisse videtur, dum inter alia requisita doctrinam sive viros doctos & neutiquam analphabatos ad hoc judicandi officium expetit & desiderat; quippe cum *Augustini de Civ. Dei Lib. 19. c. 6.* monito: *Judicis ignorantia plerumq; sit innocentis calamitas.* Sed quàm benè hic articulus primus observetur, experientia, proh dolor! testatur, dum in oppidis soepè per homines literarum atq; negotiorum criminalium planè imperitos, in pagis per Rusticos, aut alios indoctos criminalia expediuntur, sunt verba *B. DN. Brunnemanni Viri egregia pietatis & rari exempli in Proc. inquisit. cap. 3. n. 45. Conf. DN. Casp. Mantzius in commentario rationali in criminalem sanctionem Carolinam art. 1. Bekennen öffentl. ch. n. 8. 9. & seqq.* ubi insimul rationes addit, cur olim ejusmodi judices illiterati fuerint tolerati.

II. Litigantes personæ sunt vel Actor vel Reus. Horum partes etiam analphabatos, si ipsis læsio accidat, in se suscipere posse, non ambigo. Atverò, cum illi ipsi partim ob verecundiam, partim ob inscitiam Judici desideria sua exponere nequeant, salubriter ipsis provisum, ut Advocatos, qui eorum nomine Judicem in facti enarratione informant, assumant. Horum laudes exponere nostrum non est, cum easdem ab ipso Imperatore *in l. Advocati 14. C. de Advoc. di. 12. vers. jud.* recensitas videamus; Sed quærimus, an etiam anal-



analphabeti possint esse Advocati? Sanè si dicendum, quod<sup>12.</sup>  
 res est, negamus quæstionem, sequentibus ducti rationibus:  
 Advocatorum munus est, ut Juris peritiam habeant. *B. Dn.*  
*Brunnem. in Proc. Civ. cap. 1. n. 68.* Imò secundùm quorundam  
 judiciorum laudabilem observantiam libellis nomina sua  
 subscribere tenentur. *Brunnem. d. l.* Et quis ignorat, jus no-  
 strum in thesi certum esse? Et quem insuper fugit, juris ad  
 facti circumstantias, quæ variant, applicationem creare dif-  
 ficultatem maximam, adeo ut etiam exercitata ingenia  
 quandoque torquere soleat. *Brunnem. d. l. n. 65.* Hæc igitur  
 nobiscum evolventes, optimo jure analphabetis Advocatu-  
 ram denegamus, & Jurium gnaros tantùm admittimus,  
 quàmvis dolendum, non rarò contrariam & rationi sanæ ad-  
 versam consuetudinem obtinere. In multis profectò locis  
 Scribas, Opifices, imò terræ Filios munere Advocatorum fun-  
 gi advertim⁹. *Carpz. P. 1. C. 1. Df. 18. n. 15* In multis locis Idiotas &  
 Legū penitus ignaros, de quibus in appendice agem⁹, admitti  
 videmus, unde non immeritò *Joh. Ferr. Montan. in Proc. Part. 1.*  
*lib. 1. cap. 1.* jam tum de iis ipsis conquestus est, inter alia in-  
 quiens: In hoc solùm sunt instructi nonnulli Advocatorum,  
 ut morem illius judicij, in quo versantur, quodammodo af-  
 secuti videantur, in reliquis ne gry quidem; sed penitus ἀναλ-  
 φάκτοι sunt. *Berlich P. 1. Concl. 9. n. 46.* De Procuratoribus aliud<sup>13.</sup>  
 dicendum esset, cùm illi saltem exercitiū corporis Parti-  
 bus subministrare soleant: adeoque si rerum peritissimi, mo-  
 resque judicij, in quo versantur, affecuti essent, quæ saltem  
 peritia ab ipsis desideratur. *Brunnem. d. l. n. 68.* etiam analpha-  
 betos ad Procuratorum officium admittendos esse, dicere-  
 mus. At cùm res magni præjudicii hic subsit, dum sc. Pro-  
 curator litis Dominus fit *L. 22. C. de Procurat. Anton. Faber in*  
*Cod. lib. 2. tit. 6. Df. 3. n. 2.* facilèque ab ejusmodi Procurato-  
 ribus ad causæ merita facientia omitti possint, salvis aliorum  
 judi-



judicantium rationibus, non putamus, analphabetos ad Procuratoris officium regulariter admittendos esse.

14. Hæc de Advocatis & Procuratoribus. Cùm autem sæpius contingat, ut litigantes ipsi ob impedimenta legalia in judicio comparere nequeant, mandata Advocatis aut Procuratoribus dari solent, quorum exhibitione personas suas legitimant, & prout *Baldus in L. 12. C. de Procurat. n. 4.* loquitur, judicium substantiatur. *Vid. Carpz. in Proc. tit. 5. art. 1. n. 57.* Hoc mandatum inter cæteras solennitates non saltem sigillationem mandantis; sed & subscriptionem requirere,
15. testatur *Carpz. d. l. n. 90.* Quæro igitur, si mandans analphabetus esset, quomodo Procuratorem validò mandato instruere possit? Respondemus, in nonnullis judiciis moris esse, ut mandata typis exscribantur, in quibus Spatium aliquod relinquitur, quo nomen constituentis & causa in litem vocanda inscribatur, uti morem illum in Dicasteriis Illustriss. Ducum Brunsvicensium seruari commemorat *B. Dn. Brunnem. d. l. n. 75.* adeoque mandati illa laudabilis confectio si judicialiter fiat, mandantis Subscriptionem hic non desideramus, quippe omnia sincerè hic acta præsumuntur. Deinde si analphabetus mandatum judiciale Procuratori nollet dare, sed ipse eundem instruere vellet mandatò, Notarium ad se vocari mandabit, ab eoq; mandatum subscribi curabit uti illa ipsa consilia suppeditat *Carpz. in Proc. tit. V. art. 1. n. 101. & seqq. ubi Bartol. in L. si Procuratorem 65. ff. de Procurat. n. 2. & Vantium de nullit. ex inhabilit. Sent. defect. mandat. n. 138. & Alexand. Lib. 1. Consil. 41. n. 2.* eam sententiam approbantes & confirmantes adducit. *Conf. Berlich P. 1. Pract. Concl. 14. n. 78. & seqq.* Quoniam etiam superius demonstratum fecimus, sigilli appositionem quandoque eundem valorem habere, quem subscriptio, hinc dubium nobis movetur, an ne etiam mandata sine ulla subscriptione, sed per solam sigil-



sigilli appositionem valere possint? Responsum damus, nudam sigilli appositionem non sufficere, cum sigillum sit res inanimata per se nihil probans, facileq; fieri possit, ut mandanti sigillum surripiatur, atq; ita falsitas committatur; Sed subscriptionem necessariam esse. *B. Dn. Brunneumannus in Consiliis recens editis Consil. 79. n. 7. & Consil. 90. n. 4.* Hinc & Berolini in Feudali Cancellaria die 9. Novembris Anno 1659. contra Herrn Günkels von Bartensleben secl. Söhne und Gevettern responsum: Mandatum quo feudi investituram petierunt, invalidum esse, hisce formalibus: *Das jedoch diese Vollmacht nicht angenommen; sondern in dem mangelhaft befunden worden/ 1. Das die Söhne und Gevettern diese Vollmacht nicht unterschreiben noch weniger ihre Nahmen in der Vollmacht exprimiren lassen. 2. Das zwar ein Siegel mit der Umschrifft sämptliche von Bartensleben darunter gedruckt gewesen/ darauff aber allein zusehen/ ist bey der Lehns Cankleyn nicht herkommens.*

Mandato si jam instructi fuerint absentium Advoca-18.  
cati aut Procuratores, tum ad actoris intentionis & rei exceptionis probationem positiones formantur, quibus contradicentibus obviam iri solet, quò inde veritas erui possit. *Vid. Dn. Brunnem. in Proc. Civili cap. 17.* Quæro igitur si an-19.  
alphabetus ad positiones à Parte oblatas respondere debeat, an nō nisi Præsente Advocato sive Procuratore, qui eum instituere valeat, respondere possit? Equidem nihil certi hic statutum esse scio, apprehendo tamen ex Doctorum non contemnendis rationibus, id ipsum Rusticis, mulieribus & idiotis quandoque indulgeri posse, ne sc. ob propriam simplicitatem, quoniam sæpius quæstiones captiosæ & obscuræ in positionibus proponi solent, capiantur aut decipiantur. *Vid. Josephus Ludovicus Decis. 81. per tot. P. 2. ubi Dd. & Robert. Maranta in praxi sive ordine judiciorum Part. 6. tit. de Positione seu*



*articulorum productione n. 16.* Hæc adeoq; mecum evolvens, salvis aliorum judiciis putarem, ob rationis identitatem, etiam analphabetis, si adeò simplices, ut etiam rerum ignari essent ( aliud dicendum de astutis & rerum peritis ) hoc beneficium denegari non posse. At sicuti *Josephus Ludovicus d. l.* tradit, simpliciter hoc non admittendum; sed iudicis arbitrio relinquendum esse: Ita & nostrum assertum non adeò generaliter intellectum; sed ad certos saltem casus restrictum volumus: Nempe si ad positiones quæstionibus juris admixtas, aut etiam positiones involutas analphabetus respondere debeat, tum utique cum præsentia Advocati sive Procuratoris analphabetum respondere posse arbitramur.

20. Consideratis litigantibus ad ipsam litem tractationem, cujus fundamentum in litem contestatione consistit, procedendum esset; at cum omnes ferè habeant in ore, imò & analphabeti quoque dicere soleant *Er hat litem contestirt,* sunt verba *Job. Oldendorpii de litem contestatione quam classibus suis præmissam vide,* cum tamen pauci sint qui intelligant, quid sit & quid significet, qualemque effectum litem contestatio habeat; de singulis vid. *B. Dn. Bruunemannus in Proc. Civ. cap. 14. n. 1. & n. 21.* nosterque tractandi modus circa ea non sit occupatus, hæc ipsa missa facientes ad alia cum primis ad testium depositiones, quibus litigantes suam sententiam probare & adversarii intentionem elidere possunt, progredimur.
21. Hinc quæstionem moveo an etiam analphabetus testem agere & testimonium dicere possit? Respondemus maximè. Nihil enim obstare videtur quod analphabetos à testimonii dictione arceat. Cum enim omnes ad testimonium ferendum admitti possint, qui prohibiti non reperiuntur *L. v. ff. de Testibus,* utique analphabeti inter testes connumerari & ad testimonii depositionem admitti poterunt, cum illi nusquam à testimonio repellantur, nulla etiam simplici-



plicitas aut ignorantia ipsis opponi valeat, quæ eos à testimonio repellere posset, modò aliàs sanæ mentis & integræ vitæ inveniantur. *Vid. Casparis Kloekij Consil. 101. n. 255. & sqq. ubi Dd. Vol. 3.* Objectionis locò afferre quis posset *Nov. 90. cap. 1.* ubi Imperator mandat, non quosque Artifices ignobiles, neque vilissimos, neque nimis obscuros ad testimonium procedere debere, quibus forsitan aliqui analphabetos annumerare possent; Verùm quia *d. Nov.* tantummodo de vilissimis & abjectissimis hominibus, sentina & infima fœce plebis loquitur. *Farinac. quest. 17. n. 56. & sqq.* analphabeti, si aliàs vitam laudabilem vixerint, minimè à testimonii dictione rejici poterunt. *Conf. Dn. Klock d. l.*

Cùm etiam quandoque attestationibus publicatis novos testes producere concessum, casus vid. *in B. Dn. Brunn. Proc. Civili cap. 20. n. 84.* quæro, si attestationes publicatæ fuerint, anne tum analphabeto novos testes producere liceat? Certum aliàs inter *Dd.* est, bis vel ter testibus productis, non alios quartò produci posse, quia periculum metuitur, ne attestata Partibus innotescant, sicque facilè alios subornandi licentia suppeditetur. *Auib. At qui semel C. de probationibus illicq; in Comment. B. Dn. Brunnem.* Verùm ut ad datæ quæstionis responsionem veniamus, dicimus, si verisimiliter constet, Partem testificata non didicisse, omnino testes novos producere, concessum erit. Sic præsumptivè apparet, analphabetum, etiamsi dicta testium ad ipsius manus pervenerint, eadem non didicisse, cùm is, qui legere nescit, testium testificata legisse non præsumatur. *vid. de hoc casu elegantè differentem Augustinum Beroum Consil. 100. n. 10. & 11. Vol. 3.* Aliud dicendum, si prælectio attestationum analphabeto ab alio facta fuisset. Atque hæc sunt, quæ circa judicialia de Analphabetis dicere volui. Vastus adhuc dicendi Oceanus mihi aperiretur, si ex Consiliis Clarissimorum Jctorum



ea, quæ in Praxi circa materiam Analphabetorum observârunt, repetere atque commemorare hîc liberet; sed cùm portum, quem sibi proposuit Disputatio nostra, cernat, vela contrahens, huic capiti & cum eo Analphabetorum tractationi, quasi portum ingrediens, summam impono manum.

## APPENDIX.

sive

## CAPUT VI.

DE

Jure Illiteratorum, Idiotarum  
& Jurium imperitorum.

## SUMMARI A.

<b>C</b> ontinuatio.	1.	An illiteratus Magistratum gerere	
Literarum præstantia.	2.	possit?	11.
Illiteratus ad Officium Ecclesiasticum non est admittendus.	3.	Etè fungatur?	12. & 14.
Id quod confirmatur ex Ordin. Confessor. Brandenburg.	4.	Constitutio Friderici III. & quid de ea tenendum?	13.
Hinc sedula inquisitio in vitam & studia Candidatorum Ministerij instituenda.	5.	Questionis præcedentis limitatio. An illiterato jurisdictio sit mandanda?	15. & 16.
Mores seculi nostri eam negligunt. An illiteratus salvâ conscientia ad Ministerium Ecclesiast. aspirare & admitti queat.	6. & 7.	An idem rectè eligatur Commissarius? Questionum notarum utilitas demonstratur.	17. & 18.
Qualis eruditio in Ministro Ecclesiæ desideratur?	8.	An in Causis Criminalibus illiteratus judicare queat?	19.
Neque Ludimoderator esse potest illiteratus.	9.	Si per Assessorum imperitiam malè judicatum fuerit, quis conveniendus sit?	20.
Qualis eruditio in Ludimoderatoribus sit necessaria?	10.		Ad



<i>Ad quidnam teneatur, qui per im-</i>	<i>Rolandus à Valle taxatur.</i>	24.
<i>peritiam malè judicavit.</i>	21.	<i>An in Procuratore eruditio sit neces-</i>
<i>An illiteratus esse possit Advocatus.</i>	22.	<i>saria?</i>
<i>Moros seculi notantur.</i>	23.	<i>Totius Disputationis Conclusio.</i>
		26.

Quantùm ingenii vires ferre voluerunt, analphabetorum 1.  
 Jura perlustravi. Subsistendum hac vice esset, nisi promissum, in cap. primi numero 20. factum, mihi in mente verfaretur. Fidem igitur dictis & promissis ut addam, Illiteratorum, Idiotarum & Jurium Imperitorum Juris enodationi præfens hoc Caput dicatum volo, visurus, quomodo Illiterati in Jure dignam mereantur considerationem. Circa vocum dilucidam discussionem ut me detineam, nec animus est, nec tempus permittit, cùm Philosophis ea relinquenda veniant, nosque jam tum ea in dicto capite 1. enodata cernamus; adjicimus tamen, trium horum vocabulorum significationem in hujus capituli tractatione pro synonymis à nobis reputari; adeoque inutilibus altercationibus missis, ad ipsam 2.  
 rem nos accingentes, præmittimus, nihil literarum scientiã in universo mundo digniùs aut præstantiùs reperiri, cùm eã totus illuminetur Mundus, & per eas ad obediendum DEO & Magistratui mortalium vita informetur. *auth. Habita C. ne filius pro Patre. Carpz. in Jurispr. Eccles. lib. 1. Df. 328. n. 1. Unde doctos ab indoctis paulò minùs differre, quàm vivos à mortuis, optimo jure cum Fr. Senens. lib. 9. de Instit. Reip. tit. 2. asserimus. Hisce ita præmissis quærimus, an illiteratus 3.  
 ad Officium Ecclesiasticum sive Sacerdotale admitti possit? Respondemus negando. Cùm enim vero Verbi Divini Ministro Verbum in Sacris Scripturis revelatum, notissimum esse debeat, *Malach. 2. v. 7. Matth. 13. v. 52. 2. Timoth. 3. v. 14. 15. 16. 17.* & Verbi Divini Ministrum ita versatum esse oporteat in Sacris Literis, ut illas ad Auditores, habita ratione circumstantiarum, prudenter accomodare possit, *Epist. Pauli 2.**



ad *Timoth. 2. v. 15.* imò & ille, qui dignus haberi Ministeriò sacrò velit, ita in Sacro Codice profecisse, necessariò requiratur, ut eorum, quæ docet, rationem postulanti reddere, veræque Religioni contradicentes refellere possit. *Epist. Pauli ad Tit. 1. v. 9.* Vid. *Cass. Brochmanni Systema Theolog. T. 2. Loc. de Minister. Eccles. cap. 3. Cas. Conscient. 4.* ubi quæstionem tractat: *Anne is, qui eò profecit in literis, ut linguam latinam, utcunque didicerit, & concionem è scriptis alienis haustam, memoriter recitare nôrit, censendus sit instructus donis ad Ministerium necessariis;* nullatenus videre licet, quomodo illiteratus ad hoc periculosissimum Officium & animarum curam admitti possit. *Conf. Roland. à Valle P. 1. Conf. 4. 7. n. 76. & sqq.* Hinc præter Canonistas, ut in *can. illiteratos 1. dist. 36. can. 3. dist. 55. cap. 7. X. de electione & electi potest. & cap. ult. X. de temp. ordinat. in 6tò* etiam ab Imperatore nostro piissimo Justiniano, ut est in *Nov. 6. cap. 1. 4. & Nov. 123. cap. 1.* Item in *Ordinatione nostra Consistoriali* sanctè constitutum videmus, minime idiotas & illiteratos: sed literarum peritissimos ad hoc Sacerdotale Officium admittendos esse, dum sub *Tit. von der Vocation und Präsentation der Pfarrer 6.* illic dicitur: *Zu deme sollen auch zu solchem wichtigen Ampte / wie bißhero geschehen / keine Schneider / Schuster oder andere verdorbene Handwerker und Ledig-gänger / die ihre Grammaticam nicht studieret / viel weniger recht lesen können / und alleine / weil sie ihres Veruffs nicht gewartet / verdorben und nirgend hinauß wissen / nothhalben Pfaffen werden / gestattet noch angenommen werden; sondern Vermöge Hochgedachtes unsers Herrn Vatern und unser Mandat, die Pfarrer / Caplane, Schulmeister und Gesellen fürnemblich aus unser Universität zu Franckfurt an der Oder / oder da allda dißfals Mangel seyn würde / aus andern unverdächtigen Universitäten / Schulen und Rirschen. Literati ergò Sacerdotes, hoc est, doctrinâ instructi*  
neces-



necessariâ esse debent, quò lupis rapacibus Ecclesias invadentibus resistere possint ac queant.

Singulari adeoque encomio dignus eorum mos, qui ante hujus officij collationem in doctrinam & vitam Sacri Ministerii Candidatorum inquirunt, & ane sufficienter huic officio præesse possint? scire avert. Verùm ubi quæso locorum hæc & talia exactè observari videmus? Sanè ea sapius quorundam est dementia, ut vitam in Academiis inter pocula viventes, existiment, ipsos, cùm in Academiis vivant, nullo amplius studiorum labore indigere; sed ad sacri Officii functiones si per annum aut dimidii anni spatium inter Eruditorum consortia connumerati fuerint, sufficientes esse; Cùm tamen hac sola persuasione lactati nullam literis operam navaverint; sed variis vitiorum generibus vitam contaminaverint & commaculaverint. *Conf. insignis pietatis exemplum B. Dn. Brunnemannus in incomparabili Tract. de Jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 4. n. 10.* Hac persuasione confisi, & vitâ vitiiis conspurcatâ sapius domum redeunt, aut ad alia loca se conferentes, de Patroni electione student, quò reperitò ipsi sanctum denarium offerunt, sicque proh dolor! absque examinatione & rectæ Fidei atque honestatis vitæ testimonio ordinantur, & ad sacri hujus Officii administrationem admittuntur, uti ipse Imperator Justinianus de eo jam tum suo tempore in *Nov. 137. cap. 1* conquestus est. Exemplis hoc ipsum testificari si mihi animus esset, amplissimus se mihi ad dicendum aperiretur campus; at cùm ea odiosa, dixisse suffecerit, ad hujus Officij administrationem in civitate non ignota Tympanistam non nisi legere & scribere valentem, admissum esse, hinc & in contemptum ipsius sapius in conventiculis dici audivi: Peter der Trommelschläger / Pfarrer zu N. N. Vera narrans, quæro, quâ conscientia talismodi ad hujus Officij functionem adspirare, quæve conscientia Patroni illi argentarii, ut sic loqui liceat, hosce Candidatos ad hoc graviss-



vissimum officium admittere possint? Ad Primam respondeo, cum hic cæcus cæcum ducat, periculum esse, ut ambo cadant in foveam, *can. 5. dist. 38.* hoc est, in æternam gehennam se detrudant. Ad Secundam respondeo: Ejusmodi Patronos in tremenda Extremi Judicij die de hoc inconsulto facto rationes reddituros esse, quod non unam; sed tot seduci animas passi fuerint. Quâ autem literarum scientiâ Ministri Ecclesiæ instructi esse debeant, meum, utpote in alienam messem qui falcem immittere nolo, determinare non est; sed ipsis Theologis dijudicandum relinquo; Poterit tamen B.L. ex J Consultis de hac materie in specie consulere *Menochi arbitr. judic. quæst. cas. 425.*

8. Demonstratum, ut arbitrator, feci, Literatos ad Officij Ecclesiastici functionem admittendos esse, pergimus thesin declarando, sc. non eam doctrinam semper necessariam esse in Ministro Ecclesiæ, quam aliàs Dd. requirunt, (puta, ut linguarum Orientalium exactissimam habeat cognitionem, ipseq; pro & contra scitè disputare possit, & quæ alia requisita Theologi desiderare solent;) sed sufficere posse putamus, si tantam literis operam dederit, ut Sacram Scripturam intelligere, dicta explicare, & singula ad usum doctrinalem, hortatorium, dehortatorium & consolatorium accomodare & transferre possit. *B. Dn. Brunnem. d. l. n. 9.* Hæc si didicerit, & huic doctrinæ ante omnia pietatem, & ex ea fluentem inculpatam vitam adjunxerit, non dubitamus, tales Sacri Ministerii Candidatos ad hoc Officium admitti posse. Certum enim est, Mundum hodie non opus habere multa eruditione; sed ut in pietate, quæ planè videtur mortua, informetur; Imò experientia docet, pios Ecclesiæ Ministros plus ædificare in Ecclesia, quàm Doctos semipios; Plus enim possunt in Ecclesia exempla quàm nuda verba, sunt verba *B. Dn. Brunnemanni d. l.* quæ ut piissima mea facere volui. *Conf. B. Dn. Brun-*



*Brunnem. d. l. §. 14.* An verò hæc ipsa observentur, experientia respondebit. *Vid. Job. Flittneri Nebulo Nebulonum Oda 2.* Et ne sine textu loqui videamur, demonstratum facimus, huic declarationi adstipulari Papam Innocentium III. *in cap. nisi cum 10. vers. pro defectu X. de renunciat.* ubi dicit: Quamquam etsi desideranda sit eminentis scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda: Quia secundum Apostolum scientia inflat, charitas autem ædificat: Et ideo Imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. *Conf. Dn. Carpz. in Jurispr. Consistoriali lib. 1. tit. 5. Df. 59. n. 9. & 10.*

Hæc de Ministris Ecclesiæ. Ad Ludimoderatores nos 9. convertimus, quæstionem moventes, an illiterati ad hæc functiones admitti possint? Sanè quæstionem inspicientes, primo intuitu eandem negasse, sufficere posset *L. 7. C. de Prof. & Med.* Quis enim nescit, quàm multum intersit Reipublicæ, liberos in pietate, vera fide, sincera Religione ac scientiarum eruditione educari? quam educationem in primis *Ordinatio nostra Consistorialis sub tit. Von den Schulen / auch Schulmeistern und ihren Gesellen 29.* præcipit. Hisce fundamenti locò positus, facilè quæstionis nostræ negatio demonstrari poterit. Quomodo enim alios informare valebunt, qui ipsi nihil didicerunt. *Nov. 123. c. 1 §. 2.* Quomodo Fidè, quomodo Religionem inculcare valebunt, qui nec ipsi eandem antea hauserunt, nec in vera Religione se informari passi sunt? Quæ cum ita sint, nihil addo, præter allegationem *Ordinationis nostræ Consistorial. d. l. & Carpzovij Jurisprud. Eccles. tit. 6. Df. 73. n. 4. & sqq.* Verùm ne itidem nimis amplam thesin 10. nostram posuisse videamur, declarationem adjicimus, eam doctrinam non semper necessariam esse in Scholæ Collegis inferioribus, qui Analphabetos, ut vocari solent, alphabetum aut Quintanos Donatum docere, eosdemque in literarum pictura exercere solent; In hisce enim sufficit literarum le-



gendarum & scribendarum cognitionem habere, eandemq; Discipulis scitè inculcare posse. Hæc ego omnia narro, non ut penitus illiteratos ad horum officiorum functiones adhibere debeamus; sed ut talismodi, qui singulari & laudabili eruditione præditi, ad majora officia promoveamus, ne in pulvere scholastico consenescere, & de sua eruditione aliis nihil communicare, necessum habeant.

- ii. Statu Ecclesiastico misso, ad Statum Politicum accedimus. In hoc Statu primò locò Magistratum intuemur, quærentes, ane illiterati ad ejusdem administrationem admitti possint? Negativa responsio eligenda videretur, cum molestissimum sit officium ei, qui nihil in literatura, hoc est, in Artium Liberalium scientia egit, & multos tamen regere ac gubernare velle; cum non ignotum exemplum Montepessulanorum in Gallia, qui, cum illiteratis & Idiotis Rempubli- cam committerent, totam propemodum everterunt. *vid. Pet. Rebuff. Privil. Scholar. 48.* Verùm affirmativam utpote, veriore arripientes, illiteratos ad Magistratum gerendum admitti posse, modò aliàs ingenio naturali in administrando aut gerendo Magistratu polleant. *vid. Jacob Zevcot. in Flor. cap. 5. citatus à Marquardo de jure Mercatorum lib. 3. cap. 6. n. 70.* ubi doctè de hac quæstione disserit, Assessoresque ex Corpore Studiosorum Juris assumptos habeant. *Ritterbus. ad Nov. P. 9. c. 6. n. 71. ibique Dd. asserimus.* Cum verò propter multitudinem negotiorum omnia Magistratus expedire nequeant, alios puta Judices constituere solent, *L. more Majorum 5. ff. de Jurisdic.* qui lites inter Partes agitas dirimant.
12. De hisce itidem quærere placet, ane illiterati & Jurium imperiti ad judicandi officium admitti possint? Ante verò quàm ad hujus quæstionis decisionem perveniamus, mone- mus, Fridericum III. Imperatorem constituisse, ut nullus li-
13. teratorum Judicio admoveatur, uti hoc ex ipsius reforma-  
tione



tione patet: Alle *Doctores* der Rechten / sie seyen Geistlich oder Weltlich im *H. Römischen Reich Teutscher Nation*, sollen nach Laut der fürgenommenen *Reformation* an keinem Gericht / bey keinen Rechten / und in keines Fürsten oder andern Rath mehr gelitten; sondern ganz abgethan werden. Sie sollen auch fürbaß hin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden / schreiben oder Rath geben; sintemalen *GOTT* den Menschen mit seiner eignen Weisheit begnadet und versehen hat / so mag er in der neuen fürgenommenen Ordnung seines Rechts selbst wol warten. *Besold. in Dissert. de Studiosis & Doctoribus fol. 124.*

At quæ illa reformatio? immanis sanè atque barbara, omnesque artes atque disciplinas destruens. Hoc certum; vel falsam esse istam Constitutionem, vel nunquam in usum venisse, nec sine totius Imperii ruina observari potuisse. Sed uti ad quæstionem perveniamus, equidem non ignotum habemus, multos, certis, ut putant, ex rationibus ductos quæstionem negare, partim quia *Nov. 82. prefat. & cap. 1.* ad hoc munus Legum peritos desiderat, *Conf. L. 13. C. de Sent. & inter locut.* partim etiam, quia Judices non aliter judicare debent, quàm prout Legibus, Constitutionibus vel Moribus proditum est, *pr. Inst. de Officio Jud. Conf. Ritterbus. d. l. n. 69.* unde etiam veteres *JConsultos* dixisse affirmant: Judices duos sales habere oportet, alterum Scientiæ, ne sit insipidus; & alterum Bonæ Conscientiæ, ne sit diabolus. *Baldus in L. 3. C. de Sent. ex peric. recit. circa fin. & Jason in L. rem non novam C. de Judic.* At verò cum nec ipsi negemus, literatum, hoc est, Juris peritum esse debere Judicem; in totum tamen hoc asserere non licet; sed limitationem adjicere placet.

(1) Si doctos habeat *Assessores d. Nov. 82. illic*: adsint modis omnibus *Assessores*, *Conf. L. 1. C. de Assessor. & Dd. in L. 17. C. de judic. Godofredus ad L. 2. C. de postul.* Hi enim supplere possunt illiteratorum defectum, uti ait *glossa ad Nov 82. vid. Mar-*



- guardus d. l. Conf. Coleri Consil. 56. n. 57. & sq. (2) Si hoc consuetudine receptum sit, idque Reipublicæ genius suadeat, Job. Sibrand. P. 1. jur. pub. Lübec. Sect. 15. n. 23 uti eum Mar- guardus d. l. citat. (3) Si res ita comparata sit, ut ejus experientiam & cognitionem illiteratus habeat, de quo judicandum est L. certi juris 17. C. de Judiciis, ut puta si artifices de iis judicare debeant, quæ ad eorum artificium spectant, ac quorum usum & experientiam habent d. l. certi juris & L. Magisteria C. de juris d. omn. jud. Vid. Felwingeri judex. n. 51. quem Roggerii foro protestationum adjectum videbis ubi aliæ limitationes habentur. It. Rosbach. in Proc. Judic. n. 17. Conf. Ummius Disp. 1. ad Proc. Judic. tb. 8. n. 45. Vid. in specie de mota questione Camillus Borellus Consil. 10. n. 13. Job. Ludovic. Benderus de Revisione actorum & sent. Conclus. 4. n. 36. Petr. Gregor. Tholozanus de Republ. lib. 4. c. 6. n. 11. & B. Dn. Brunnem. in Proc. Civil. 16. cap. 1. n. 59. Quid autem dicendum de judice delegato, an & illiterato hoc officium demandari poterit? Respondemus regulariter non posse, nisi causarum experientiam delegatus habeat, & judicio naturali polleat, seu discretionem, quam sacri canones omnium virtutum matrem dicunt c. 1. X. de offic. can. 1. quest. 5. Conf. gloss. & Dd. in cap. Sciscitatus X. de Rescript. Hoc usu servari docet Alb. Rosaceus in d. L. certi juris C. de Judic. Præsertim si negotii qualitas id admiserit.
17. Hæc de iudicibus, circa Cōmissarios, cum persæpè causas per eosdem citius quàm per ordinarios ad finem perducere cernamus, quærimus an & hic illiterati admittendi, quò inter partes litigantes amicabilem compositionem, quam tentare debent, introducere possint? Respondemus negando. Neminem enim fugere existimo, Cōmissarios iudicis partes in se suscipere, tantamque diligentiam in negotiis controversis ipsis adhibendam esse, quantam iudici ordinario. Cum autem literatus debeat esse iudex, nisi doctos habeat assessores, confe-



consequentia facili negotio probari poterit, etiam causas controversas doctos desiderare Commissarios, & quidem eò magis, cum absque assessorum consilio judicare debeant. Et ne absque ratione locuti videamur, hoc nostrum assertum probamus (1. Quia Commissariorum officium inter res arduas & difficiles connumerari solet, quæ grossis & imperitis non sunt committendæ (2. Quia eruditio integrum actum Commissionis reddit facilem. *Vid. plurib. Rutg. Ruland. in Tract. de Commissariis & Commissionibus P. 1. Lib. 1. c. 13. per tot. ubi n. 2.* probat in Camera Imperiali observatum fuisse ob ignorantiam & imperitiam contra Commissarios partes excepisse, exceptionesque admissas fuisse. Diceres, 18. quam ob causam adeò solliciti estis de hisce & talibus speciales formare quæstiones? Respondemus: De imperitia Commissariorum propterea solliciti sumus, quò videamus, quosnam ad hoc officium adhibere, & quosnam recusare debeamus. Ita si semel imperitum Commissarium receperimus, non facilè poterit post animadversam imperitiam removeri, argumento eorum quæ de arbitris dici solent *L. 1. C. de recept. & qui arbitr.* Deinde etiam si commissio absoluta fuerit, contra imperitum Commissarium, exceptio imperitiæ nullius erit momenti, cum sibi quisque imputare debeat, quod idiotam & illiteratum elegerit *arg. L. fin. & ibi Dd. C. de Contrab. empt. Vid. Rutg. Rulant. d. 1. n. 8. & seqq.* ubi tamen asserit, ob æquitatem si partibus ex Commissariorum ignorantia nocitum fuerit, non ita magnum ipsis generari præjudicium. Non tamen penitus excludendos ab officio Commissariorum puto Analphabetos, sed negotii committendi qualitas attendenda, & annon Commissarios adjunctos satis peritos habeant; non enim hic absoluta nullaque Exceptione laborans Regula constitui potest.

Dicta hæc sunt de iudicibus in causis civilibus, quid 19  
verò dicendum de iudicibus in causis criminalibus? Verbo-





rum ambagibus missis, Negativam defendimus, quam indubitatis & firmissimis rationibus prolixè deducere, brevitatis, cujus potissimum ratio habenda, non admittit; Poterit tamen de hac materia pluribus videri *Mantzius ad Constit. Carol. §. Bekennen öffentlich. 1. n. 7. 8. & sqq. ut & Matth. Steph. ad d. l. Superiùs cùm in limitatione prima n. 15.* à nobis  
 20. dictum fuerit, illiteratum ad judicandum admitti posse, si doctos habeat Assessores; Hinc quærimus, si per Assessorum imperitiam malè judicatum fuerit, anne tum Magistratus sive Judex, anne verò Assessores conveniri debeant, aut quæ aliàs contra sententiam Jura suppeditent remedia? Respondemus, si Magistratus Assessorum vota necessariò sequutus, judicaverit; non Magistratum; sed Assessores conveniri posse. *L. 2. ff. Quod quisque juris.* quia dum Assessor Juris scientiam proficitur, & eandem præstare debet, Magistratus etiam quod juris ex Assessoris consilio dixit, ipse Assessor dixisse vi-  
 21. detur. *Zoes. ad ff. de Off. Assessor. n. 5.* Diceres autem, ad quid ergò tenebitur Assessor? Respondeo: Illo ipso Jure iniquo per imperitiam in Partes statutò posse Partes contra ipsum Assessorem, si casus contingat, uti: *Oldendorp. Class. 1. act 1. p. 5. n. 2. ubi p. sq. n. 8.* ait: hanc etiam actionem locum invenire in Doctoris imperiti ex Jure respondentis sententia, *L. 1. C. de Prof. & Medic.* De Judice in Jure expeditum est, si is per imperitiam jus dixerit, eundem non saltem in dictum Edictum quod quisque juris in alterum, incidere; sed & litem facere suam, & teneri in id, quod interest Partis læsæ per iniquam sententiam. *L. si Judex ff. de var. & extraord. Cognit. pr. Instit. de obligat. quæ ex quasi delicto nasc.* De adfini remedio notandum, si Judex imperitè contra Jus in thesi sive contra Jus Constitutionis pronunciaverit, sententiam ipso jure nullam esse, adeo ut & ommissa appellatione læsus de nullitate conqueri possit. *Gail. lib. 1. Obs. 42. n. 1. & sqq. Conf. Carpz. P. 1. C. 26. n. 7.* Sin verò à Judice contra Jus in hypothesi, sive  
 con-



contra Jus Partis sententia lata fuerit, valida quidem erit; per appellationem tamen rescindi poterit. *L. 2. C. quando prov. non est necess. cap. 13. X. de sentent. Zoes. ad ff. de Rejudicata. n. 50.*

De Judice & Assessoribus hæc dixisse, sufficere possunt, 22. progredimur ad causarum Patronos, quarentes, an illiterati sive Jurium imperiti ad causarum perorationem admitti possint? Cùm à Dd. Advocati, antequam in numerum Advocatorum recipiantur, examinari debeant, *L. 11. C. de Advoc. divers. jud.* negativa responsio in aprico erit. Advocatus enim facti speciem cum omnibus circumstantiis proponere, eòq; in primis animi sui vires intendere debet, ut actionem ritè instituat, quænam actio instituenda veniat, & quænam sint actionis requisita, cogitet, quò justè in formando libello concludere possit. Hæc & alia si non calleant Advocati, tanquam indocti & imperiti ad hoc laudabile officium admitti non poterunt. *L. 1. §. 4. vers. Advocatos ff. de extraord. cognit. & L. 9. C. de LL. Conf. Zas. Consil. 76. n. 7.* Hinc ab ipso Imperatore in *L. 3. §. 4. & L. 5. §. 4. C. de Advocat. divers. judicium.* statutum; nemini, nisi quinquenniò absolutò, & cognitò, eundem Legum eruditioni diligenter inhæsisse, causarum Patronum in Judiciis agere licere. *Conf. de hac questione Rolandus à Valle Vol. 3. Consil. 36. n. 6. & sqq. It. Berlich P. 1. Conclus. 9.* Enimvero quotidianam observationem contrarium doce- 23. re, nemo negabit. Ita sæpius Advocatos vix per annum in Academiis commoratos, qui parùm, quid dico parùm, imò nihil in Jure versati, aut ad Titulum usque Institutionum de Nuptiis pervenerunt, Advocatorum consortio cum summa justitiæ jactura sociari videmus. Novi Legulei illi, si per aliquod temporis spatium Advocaturá functi fuerint, & oculis jam cernere incipiant, ipsos huic officio impares esse, sibi consuli opinantur, si opulentæ nupserint Virgini, sicq; ad vitæ dies utpote Fratres ignorantia vivere possint. Verùm quæ illa vita? Uxor Maritū alit, Maritus Uxoris Bona consumens, ea  
tueri,




tueri, multò minus augere negligit. Sane hæc est summa illa stultitia hujus deplorabilis seculi. Optandum esset, ut Magistratus supradictas Constitutiones ab omnibus Advocatis mordicùs observari curaret, & nò Sutores, Sartores, desperatos ac decoctos Mechanicos ad hoc nobile Advocatorum officiù adspirare sineret. *Berlich d. l.* Equidem *Rolandus à Valle d. l.* quæstionis nostræ negationi limitationem ex Dd. illic citatis adjiciens, inquit: Imperiti in Jure bene possunt esse Advocati, si consuetudine sunt instructi, in matriculam tamen poni non debent, quam & ipsi limitationem penitus non negamus; sed incommoda ex Advocatorum illiteratura & Juris communis imperitia, emergentia, quæ cujusvis judicii acrimoniæ subjicio, hanc limitat. vix admittent.

De Procuratoribus aliud dicendum esset, cum, ut superiùs dictum, corporis saltem operam præstare debeant. Verùm cum & illi si fuerint illiterati, malitiosè cum Partibus litigantibus agere soleant, consultiùs esse putamus, ut in bene constitutis Judiciis Procuratores docti & Jurium periti assumantur. Hinc & *Declaratio Ordinationis nostræ Cameralis P. 1. art. 15.* expressis verbis inculcat, literatos & doctos Procuratores in Judiciis Marchicis adhiberi debere, dum inter alia dicit: *Diemeil auch ungelehrte/leichtfertige Procuratores manchen armen Mann verführen/sollen unsere Camer-Gerichts Räthe/desgleichen die Gerichte in unsern Städten keinem nachgeben für den Gerichten zu reden/oder Sachen zu führen/er habe denn in Rechten studieret/und dessen/wenn es von ihm erfordert/von seinen Præceptoren Zeugniß bringen.* Hæc an in Judiciis observentur, meum non est inquirere; illud adjicio, si declarationis articulus nondum observatus, optandum esse, ut observetur.

Plura de amplissima hac materia dicenda haberem, ingenii autem mei imbecillitatem attendens, peculiarem hujus materiæ elaborationem, quam meretur, aliis & exercitioribus relinquo, ac huic Capiti, sicq; Disputationi finem facio. Momi mordaces dentes susque deq; fero, non inscius, à Juvene in Disputationis elaboratione exactissimum judicium desiderari non posse, quod & Tu B. L. attendere, mihiq; quandoq; erranti, veniam dare non dedignaberis. Tibi verò Clementissime Pater, cujus auspiciis omnia bona geruntur, laudes gratèq; ago & habeo immortales, quòd tuo imperscrutabili amore me hæctenus prosequi volueris. Age, & tui Spiritus S. assistentiâ me imposterùm illumina, quò omnes mei cœptus in tui Nominis gloriam, & Proximi salutem vergant. Faxis hoc ô Deus, faxis!

TANTUM.












94 A 7399

ULB Halle

3

005 127 157




VD 17

Reho









I. N. J.  
 DISPUTATIO JURIDICA  
 DE JURE  
 ΑΝΑΛΦΑΒΗΤΩΝ:

Q V A M  
 CLEMENTISSIMO DEI ADJUMENTO,  
 AUCTORITATE MAGNIFICI JCTORUM COLLEGII  
 IN HAC INCLYTA VIADRINA

SUB PRÆSIDIO  
 DN. SAMUELIS STRYKII, J. U. D.

COM. PALAT. CÆSAR. ANTECESSO-  
 RIS CELEBERRIMI, ET H. T. DECANI  
 SPECTABILIS,

DN. PATRONI ET PRÆCEPTORIS SUI  
 DEBITA ANIMI OBSERVANTIA ÆTERNUM  
 COLENDI.

*Die Julii Anno M. DC. LXXVII. Horis consuetis*  
 IN AUDITORIO JCTORUM

PLACIDO ERUDITORUM  
 EXAMINI SUBMITTIT

REICHARD THOMAS RHEVVEND.

Col. March.

A U T O R.

---

FRANCOFURTI AD ODERAM,  
 Typis Hæredum JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.

